
ACTUARI
US
DE
Medicamen
Compositione

ACTVARIVS DE MEDICAMENTORVM COMPOSITIONE,

IOAN. RVELLIO INTERPRETE.

Adiecimus quoque cum locupletiſsimo rerum & uerborum indice, aliquot in margine adnotatiunculas, quæ Medicinæ ſtudioſis frugem nõ pœnitendam ſint allaturæ. Quæ omnia caſtigatiſsima exeunt, ut quilibet rerũ optimus æſtimator poterit iudicare.





PARISIIS,

Apud Iacobum Bogardum, ſub inſigni D. Chriſtophori, è regione gymnaſij Cameracẽſium.

1546.

CVM PRIVILEGIO.

CHRISTIANISSIMO INVICTISSIMOQUE Francorum Regi, Francisco Valesio Dionysius Corronius S. P. D.



Ompositiones medicamẽtorum Actuarij, Augustißime Princeps, quas Ioannes Ruellius Sueßio, annis aliquot antè quàm è uita discesßisset, latinas fecerat, nuper recognoui, qua potui fide & diligẽtia, singulas authoris sententias ad Græcum perpendens exemplar: ut si quid fortè illum in uertendo humanitus fefellisset, siue quid aliò festinans calamus omisisset, id bona cum ipsius Ruellij, tum doctorum omnium gratia, à nobis reponeretur. Quibus an ego satisfecerim, qui mihi ipse non satisfeci, uix equidem ausim affirmare: hoc tamen unum uerè prædicabo, me quicquid fuit laboris, ut quàm plurimis rei medicæ studiosis consulerem, percupide suscepisse. in quo id omne, quod præstiti, Francisce regum maxime, tibi dico & nuncupo: ueterum consuetudinẽ sequutus, qui medicinam diis & regibus acceptam referentes, hãc iisdem ipsis semper dicatam, & maximè coniunctam esse uoluerunt, tanto salutaris artis consortio cum cælitum numine ac regum imperiis per omnem ætatem celebrato, ut tum uulgò fuerit receptum, è medicis reges atque deos fieri, qui sic mortales sanando iuuissent. Ita certe Apollinem, ita filium eius Aesculapium,

&

& cæteram superorum gentem cœlo aßignatam, uenerata est antiquitas, idque factum non immeritò: siquidem promptißime ex homine ad deos itur, cum is illorum sanat exemplo. imò amborum idem efficitur munus, cùm quam nobis ille rerum parens dat uitam hic datam tuetur, uel potius iterũ donat, largiturque, utpote prius deperditam, quàm potest plurimos morti eripiens. Nimirum & Regum est, eos omneis, quibus ipsi imperant, quauis tueri ratione: & medicinæ (quæ ad hominum salutem inuenta est) ratio omnis eò spectat, ut sospes & incolumis nemo nõ seruetur: & Reges initiò (nam in terris nomen imperij id primũ fuit) hoc ipso medendi beneficio, non minus populum suum protegere studuerunt, quàm armis, quàm legibus atque institutis. Ideo medicina semper gloriosa, simulque diuina priscis habita fuit: quòd cum esset mortalitatis nostræ moderatrix ac regina, eadẽ reges haberet mehercule potentißimos, & peræque sui studiosißimos. quippe quos Græcorum etiam medicorum testimonio constat non modò medicamentis antea inuentis fuisse usos, sed certa scitaque alia excogitasse: quæ ipsi quocunque proficiscerẽtur, diligentißime secum deferebant: eorumque usu, sicubi aduersa incidisset ualetudo, sibi aliisque opitulabantur: hoc identidẽ exemplo suos ut se quisque studiose tueretur & curaret, commonefacientes. neque hac illa duntaxat gloria contenti regnabant, quin sæpe cũ toto regiæ dignitatis satellitio, in summo honoris fastigio, in purpura, ac medijs in triumphis laureati, uel aliàs accincti paludatique loca

 perlustrasse,

perlustrasse, sui quisque imperij, memoratur: non quidem, ut unus niteret digiti articulus, sed id satagentes, ut plantas insignes aut aliud quippiam hominibus utile uestigarent: pro quibus, dum hoc unus illic, alius hoc idem alibi suum faceret inuentum, non minus strenuè aut acriter ab ipsis dimicatũ est, quàm de imperio aut uita. tum certamen omniũ longe quidem pulcherrimũ certauere, ut uitam nostram quàm optimis donis exornarent & excolerent. Eius rei argumenta cũ alia nobis supersunt multa, tum ea quæ ab nobilißimo illorum bello nomen sibi hodie quoque retinet, Polemonia, atque aliæ stirpes non paucæ, quarum inuentoribus regna partim concessa, partim immortalitatem mortalibus donatam fuisse legimus. quid enim aliud nobis Achillea, Lysimachia, Eupatoriũ sonãt? quid aliud Gentiana & Alcibiadis? quid aliud Mithridation, & mirabilis illa Mithridatia antidotus? quid regiæ florum appellationes? de quibus Poëta iocum struxisse uideri potest, cùm pastorem inducit sciscitantem, Quibus in terris inscripti nomina regum, Nascuntur flores. neque enim nunc ulla prorsus regum permultorum extaret memoria, nisi in hisce rerum nomenclaturis ea uerbo tenus asseruaretur: ut quotquot in his priscorum nomina insunt, tot illorum merita, uitæque nostræ auxilia agnoscamus. Quæ tu omnia, Princeps generosissime, tanto superas interuallo, quanto tu plures, quàm omnes omnis æui reges, doctrinæ uitæque degendæ ornamenta adinuenisti: quantóque solertior inuentis tuendis extitisti, uel sanando fortunatior diuiniorque: qui

non

non carmine, nō superstitione ulla, ut ueteres fecisse produntur, sed syncera in Christum fide ductus, eiúsque, ut uidere est, spiritu afflatus duce, puritatis animi tui teste, tuo, cœlestisque Dei digito, tot milia strumosorum, hoc est morbo perditorum, nulli mortalium quàm tibi curabili, etiam leuiter contacta sanas & seruas, deorum (quos imitaris) instituto, qui soli quosdam in nobis affectus amoliri creduntur. Quare sapientißimus poëtarum Homerus, hos ipsos morbos ad cælitum iram retulit, & ab iisdem opem poposci solitam cecinit. nec minus quidem uerè noster Ouidius, non esse in medico semper releuetur ut æger: quin illam deorum potentiam, sanando plus humanis ualere uiribus. id quod tu unus ex omnibus memoria dignis principibus, Francisce regum optime, clarißimis & frequentißimis manifestas miraculis, toties ad pietatem repetitis, quæ ut sunt Francici regni insigne ac decus, & uelut quædam diuinitatis in te merentis testificatio, ita tu eam certißimam expectes oportet. profectò inter omneis Principes Christianos hanc prærogatiuam adeptus es, ut more modóque Christi seruatoris, uerbo & opere sanes. Nihil hic rerum tuarum bello aut pace gestarum, epistolæ breuitas patitur attingere: alibi eas (si Deus annuerit) persequemur, exæquatas ut minimum eximiis summorum ducum imperatorumque facinoribus, & sæpe suprà. quis enim mentis compos præclarißima Caij Cæsaris (uerbi gratia dixerim) hisce tuis prætulerit, siue arma, siue ornamenta? hoc est, undecies cētum & nonaginta duo milia hominum in

bellis ab eo occisa, præter eã multitudinẽ, quæ in discordiis ac prælis ciuilibus penè innumerabilis occubuit. hic enim maximus fuit fortunæ eius ac gloriæ cumulus, ut ipsemet cædiũ author solebat interim gloriari. At eã rẽ non adeò laudi dandã esse inde licet existimare, quòd Caius Plinius, uir alioqui Cæsarum cultor, anxie diligẽs, coactã uocet tantã humani generis iniuriã, nedũ in gloria ponat. quo magis nobis suspiciẽdus, Potentißime ô & Clementißime Rex, qui unus plura Christianorum millia, tua bonitate prudentiáque ingenita seruas, quàm ille illiúsque multi persimiles alij unquàm suorum perdiderint. seruas inquam, & ut pius patriæ parens, gremio foues: dum bellum longe calamitosißimum festa pace commutas, idque procul relegatum conuertis in Persas, & extremos ad Garamantas: & quicquid Rege uerè Christianißimo dignum habetur, hic sanctißime agis: tot iam annos populo tuo quietem salutemque moliens, cum te imperio administrando eum præstas, quem populus natioque omnis, si saperet, ut monarcham sequi deberet, omnibus fortunis, ut id unum obtineat, collatis. sed, ut nostra (quorũ tu portus es & asylum) literarum studia contingam, quódnam beneficium maius Musis poteras conferre? quid te dignius facere? quàm quòd eas olim à barbaris regib. expulsas, nunc tanto postliminio reuocatas, in tuo regno sedere permittis, ac tecum unà regnare iubes: & quoad licet, in pristinum honorem restituis: & facis, ut ubique gentium tui imperij, sed potißimũ Lutetiæ, doctißimi uiri honestißimis abs te donati stipendiis,

pendiis, linguas doceāt, Latinam, Græcam, Hebræam: alij quicquid in hisce tribus scriptum est, omne genus doctrinæ dico, omnem naturæ historiam interpretatio nēque, gallica facūdia celebrēt, & quasi (ut ita dicā) Francitate donent. quibus si alios adiungas, qui in harum ipsarum peritia linguarum, philosophiam ac medicinam publice profiteantur, quales hic multos reperias tuæ benignitatis alumnos: qui iuuentutem istius multiplicis literaturæ rudimentis imbutam, in altioribus alant disciplinis, & tyrones generosos, uelut ex ephebis excedentes excipiant: quodq́ue totius negotij caput est, reliquum encyclopediæ orbem illis tradant, pariq́ue cum iam dictis professoribus diligentia ac dexteritate, totum philologiæ pensum absoluant. Hac tanquam coronide operi uerè regio, omnibúsque eruditionis numeris absolutißimo addita, nihil tuæ reipublicæ utilius, nihil Deo sanctius, nihil ea quam de te orbis concepit opinione dignius effeceris. quas enim quis Athenas nobis amplius prædicet? quos non Academi saltus? quod non Lyceum, quam non Stoam, aut Peripatum, quæ non gymnasia per hoc uno trilingui Parisino quis contemnat? cui alia omnia collata, aut omnino frigebunt, aut multum fasces, uel ipsa iudice Italia, sūmittēt. quod ut statim fiat, uel solo nutu ut præstes quod ita poßis, obnixißime te rogāt Musæ omnes, Charitesq́ue omnes. Vale Princeps felicißime beatißiméque. Ex ædibus tui cum primis Reuerendi Cardinalis Turnonij, apud sanctum Germanum à pratis. 17. Calendas Martias.

DIONYSIVS CORRONIVS *studioso Lectori.*

DE Actuario, quoniã aliàs mihi plura erunt dicenda, cũ videlicet alii eius libri in lucem dabũtur, hoc in præsentia dictũ velimus, huius librũ de compositione medicamentorũ, Ruellio nostro visum fuisse dignũ, quẽ Romana à se donatũ colonia, posteritati relinqueret: ipsum verò autorẽ identidem mihi videri, cum potissimũ eius doctrinã cõsidero, qui vt veterũ nouissimus, sic recentiorũ primus merito censeri possit: quippe qui vnus omnium optime illorũ placita medicináſque percallet, vnus omniũ maxime cõpendioso tradit artificio: & tãtulo cogit enchiridio, quicquid bonæ frugis magna illa Galeni sylua, cæterũque in hoc genere similiũ immensa cõplectũtur volumina: idẽ vnus omniũ bellissime cuncta recentiorũ medicorũ inuẽta concinnat, & cũ iis quę ipse per se reperit tã apposite iũgit, tã decenter vsibus accõmodat, vt de omnibus mediũ quoddã quasi tẽperamentũ facere videatur. adhęc autẽ methodo tradere, quã quiuis sequẽs, sit modò mediocri pręditus ingenio, similia iis multa per se excogitare possit, atq; vbi vsus postulabit, morbis opponere, eosq; illis penit⁹ profligare remediis, quę res vna, vt maxime iis necessaria est, q hodie passim medicinã factitant, & (vt sic dicã) praxim exercẽt, ita hacten⁹ ipsis desiderata, certe ad nũc receptas vsu curatiões tã propè accedere videtur, quàm q̃ potest ꝓxime. Vale

RERVM AC VERBORVM *in Actuario memorabilium* INDEX.

Anni

Calamin-

Colica

Diachar-

Diarrho-

Isachar

I

L

M

O

P

Porra.

Saluia

T

FINIS.

ACTVARII ZACHARIAE

de medicamentorum cõpositione liber.



POstquam æditis antea quatuor voluminibus, amplè mentionem de medendi ratione fecimus: reliquũ est, perscribere quintum totius operis commentarium, qui medicamẽtorum misturas & compositiones cõplectetur. † in quo tamẽ vt ea decoqui, aut teri, vel quo sanè pacto in formas digeri debent, nobis erit disserendum: quippe quum id breuius esse censeatur, quàm vt longam orationẽ desideret. Quin etiam, vbi res efflagitabit, neque genus parandi, tanquam parui momenti, fastidiemus: sed quẽadmodum in singulis membratim digestis valetudinibus, ex quibus & quot simplicibus medicinis construantur: & si qua ex iis plures in vsus veniant, quibus vitiis opitulentur, proponemus. Hoc enim modo conspectis, quas fronte medicamina pollicẽtur, inscriptionibus: † simul & seplasiarium vulgus, his ad manum ac tanquã enchiridii more, vt par erit, fruetur: simul & rei medicamentariæ prudentes, qui medendi viam ac rationem percallent, de iis iudicium ferent. quibus tutò non ea tantum vsurpare, sed eorum etiam exẽplo alia condere licebit: sicut deinceps formula quadam in duobus ferè vel tribus medicamentis rationem ac modum ostendemus. Itaque

† οὐ μὴν ĩ Græco exempl. negationẽ habet

† ἔξεσαι τοῖς πολλοῖς ἐπιτυγχάνειν ἐγχειρήσεσι, quiuis rectè vti poterit.

que nonnulla è medicamentario veterum penu deprompta, quædã à nobis methodico artificio in vsum ædita, huic nostro inserentur commentario. Singula tamen quæ experientia probarit, ab iis tantum, qui suum ad hæc impendunt studium, sunt deligẽda. Porrò postea quàm † à summis morborum fastigiis, ad mediocriora particularioráq; nostra processit nr atio, agedùm in compositis medicaminibus eadem via ac ratione cœptum prosequamur institutum.

† ἀπὸ τῶν καθολικωτέρων εἴδη τὰ μερικώτερα καὶ μεσιώτερα τῶν παθῶν

Sumendorum medicamentorum formæ.

ID tamẽ scitu dignum occurrit, quòd medicamenta, quæ ingeruntur, modò trita solùm, & in farinam leuigata, modò conuenienti humore subacta præbemus: aut plana fingẽtes, in circuli formã cogimus, & ea Pastillos appellamus: aut in exiles globulos orbiculósve digerimus, quæ Catapotia vocamus: aut aqua decoquentes ad tertias, & colantes, solo decocti iure, vtpore iam medicamentoso vtimur: vel cum altero quodã, vt vino, melle, sapa, vel id genus alio coniuncta præbemus potanda: vel quod proportione respõdet, sachar appellatum, aut mel, si ad hoc nonnihil conferre beneficii putemus, rursus cum eodem donec medicamentum concreuerit, coquimus: quod & Serapium, aut Zulapium, barbara voce solemus nominare. Cæterum alia terentes, dum in vnitatem coeant, & cum melle subigentes, appellamus Antidota: † nõ secus atq; fructus ali-

Pastilli

Catapotia.

Serapiũ. Zulapiũ

† ὥσπερ ἐκεῖνα τῶν ὡραίων

ctus aliquot fugaces, † aut iã coctos, aut in salgama plana redactos, ex melle tantisper excoquimus, dum iustum crassamentum obtineant: ac in formas deinde cogimus, quæ quandam bellariorum imaginem exhibeant.

Admouendorum medicaminum formæ.

EOrum verò, quæ exterius admouentur, quędam formantur in † Vnguenta, quę solũ illita, auxiliũ adferre dicũtur: alia in † Emplastra coguntur, quæ linteis expansa, vel alutis tenuibus, aut pittaciis inducta, superponũtur: alia nominãtur Epithemata, quæ nõ vernaculo lentore, sed externis vincta tæniis cohærescunt: alia terũtur in farinã tenuẽ, quã Polentã, Puluerẽve dicim⁹. non desunt, quæ velut Collyria fingentes, quibusdam † diluimus humoribus, & ad cotem terimus, profluentíque latice, tanquam ocularibus medicamentis vtimur. Cæterum hæc, & id genus alia, sensibus deprehenduntur. Quinetiam tibi harum rerum gnaro & componere & fingere licebit formas & tẽperaturas demutare † resoluere, & extendere medicamenta, vti laborantium conditio postulabit.

De potionibus febricitantium.

SImplicissimum in potionibus febricitantiũ medicamen (nam ab iis negotium auspicari placet) est quod ex sachare & aqua coquẽtes tẽperamus: secũdum locũ tenet, quod ex violarũ succo & sachare factitam,⁹ † Iosachar nominãt.

† ἑψαντὲς ἢ ὁμαλύντες, &c.

† ἀλείφαι

† ἔμπλαστρα.

† ἀνίεμεν

† ἀνιέναι & ἐπιτεῖναι remittere & augere vim medicamenti.

† Symeõ Sethi vocat ἰοσάχαρον & ἰοζάχαρον.

Hoc pectoris vitiis ob lentorem, quem habet, auxiliatur: & quàm maximè bilis acrimoniam obtundit. Quod ex floribus nymphææ & sachare paratur, vehementioribus febrib. multo magis subuenit, & dolores quos bilis creat, † & capitis ardores sopit. Quemadmodum quod è solo fit aceto, Oxosachar appellatum, molestias capitis à calore excitatos hebetat, & flauam bilē demolitur destruítq; . Capit aceti librā vnā, sacharis libras duas. Aliud habetur oxosachar è radicibus, valens aduersus adustos & retorridos humores: stomachum purgat, roborat iecur, calculosis renibus auxilio est, Ratio componendi hęc est: Corticis radicū apii, fœniculi & † satiui intubi, tusarum, singulos sextantes, in tres aceti libras coniicito, & quousque ex hoc modò binæ supersint libræ, coquito: post quinq; aut sex horas, vbi radices subegeris, & manualibus scopis insidentem deterseris spurcitiam, adiicito binas sacharis libras: rursum quæ dum mediocre sibi concrementū adsciuerit, coquito. Aliud oxosachar ex cotoneis, corpus refrigerat, roborat stomachum, & adpetētiam inuitat: iecur & cor exhilarat in æstate. Succi cotoneorum librā vnam, aceti selibrā, sacharis libras duas, coquito, donec ad consistentiam vsq; iusto coalitu densescant. Aliud è rosis, refrigerat stomachum, & firmat: irrepentes in arcem cerebri vapores sedat: contra iocineris calorem auxilio est. Aliud è santalis

βρασμὸς τῆς κεφαλῆς ἀμβλύνειν.

τρωξίμου, quæ vox apud Aetiū & Cōstāt. Cæsarē de agricultura hærin & intubū cōprehendit.

è santalis, valet aduersus iocineris calorem, sitim lenit. Aliud è malis dulcibus, & acidis, quod stomachũ & iecur firmat, vomitiones discutit, appetentiã molitur. Aliud ex Damascenis tẽperatur prunis, quod ꝓdest ad deiiciendã aluũ, ventrémque exonerãdum: feruorémque bilis ac sanguinis infrenat. Fit etiam † è ziziphis cõtra ardentes febres, quod sanguinem purgat: tussi & destillationi, quam calor mouerit, auxilio est. Aliud ex acerbis vuis factitatũ, pollet aduersus flauam bilem, & iocinoris calorem: stomachum roborat, sitim lenit, vomitionem leuat, & †deiectum firmat ventrem: opitulatur febri, quã sanguinis putrilago excitarit. Recipit succi vuæ acerbæ libram vnã, sacharis libras duas. Hæc ita se habent. Verùm cum ipse reliquorum simpliciũ vires noris, poteris pro tuo arbitrio, & simplicia vniúsq; modi, & varia medicamenta, hac via & ratione adiutus, cõponere. Solũ enim hęc & alia id gen⁹ medicamẽta, in febribus param⁹.

† διὰ τ ζιζίφων, vulgò iu bas vocamus.

† γασέρα φορομένω.

De potionibus medicamentariis, aduersus affectus qui febreis comitantur.

POrrò ex permultis simplicibus speciebus, varia fingimus medicamenta partim cum ad vnum & idem medẽdi spectant institutum, quæ componuntur, medicamina: partim, cum varii casus concurrẽtes, varia exigũt auxilia. Siquidem cum laborantem solùm refrigerare (verbi gratia) volum⁹, violę & lactucæ semina, & nym

Cõpositiõis medicamentariæ ratio.

phææ florem, & talia cum ſachare cõmiſcemus: ac tantiſper coquimus, dum aliquod nanciſcantur concrementum: iúsque decocti ex frigida aqua præbemus potandum.

Quod ſi calidam, putrémque materiam ad vrinas conuertere ſtatuamus, iis intubi ſatiui vel erratici, quod cichorium appellant, radicem, & teneros aſparagorum partus, turionésve, & cucumerum ſemina, acinos ſolani, cæteráque huius generis permiſcemus.

Quemadmodum ſane, ſi ventrem mollire fuerit in animo, cum reliqua pruna, tum maxime damaſcena adiicimus, & ferè quippiam nigræ caſiæ. Eſt autem fructus fiſtuloſus, teres oblõguſque, concretum intus humorem ferens: non vna coaleſcens continuitate, ſed ex interuallo intercedẽtibus lignoſis tenuibúſque membranis ſeptũ, ſeminalibus granis figura & ſpecie non diſsimilibus iis, quæ cognita nobis ſiliqua profert. Hoc ſufficienti modo datum, incandeſcentem torridámq; bilem, citra moleſtiam expurgat: denique iis, qui ob teneram imperfectámque ętatem, aut quanuis aliam occaſionem, deiicientia aluum medicamenta reſpuunt, hoc audenter & intrepidè damus. Tu verò & alia quoque ventrẽ emollientia mediocriter, poteris ſupradicto adiicere medicamẽto: cuiuſmodi ſunt, portulaca integra, atriplex, etiam mercurialis, maluáque. ſiquidem ſingulæ harum feruefactæ, cremorem ſuccúmq;

Caſię deſcriptio.

red-

reddunt aluum emollientem. Neq; profectò nos latet, si nonnulla ex primum dictis cocta cum sachare permiscuerimus, & aluum emolliẽs & refrigerans, per constructum iri medicamentum.

Quinetiam si ventrem, qui immoderatius fertur, supprimere tentemus, & aliàs corpus refrigerare, superius memoratis refrigerantibus rosas, & myrti baccas, si op⁹ sit, † & rheũ, quo in culinis ad obsonia vtũtur, & id genus similia adiũgimus. In quibus tamẽ nos non præterit, diuturnam serpsisse vẽtris profusionem, & humorem, † turgere, astringentibus & refrigerãtibus ea miscemus, quæ vrinam ciẽt: videlicet, vt ductis aliò riuulis, profluuiũ auertatur, in alios exitus euocatũ. Si enim hac ratione medendi non vtamur, irrepens defluuium, præcluso itinere, denegatóque egressu per has astringentiũ & cohibentiũ vires quosdam ventris & pedum tumores creabit. Et hæc quidem hac ratione curantur.

† ῥέον μαγειρικόν

† ὀργᾷν huc atque illuc mueri more animalium libidine incitatorum.

Simili modo, si frequẽtes bilis vomitus in febrib⁹ existũt, & iam modũ excedũt, dictis iã refrigerãtib⁹, vuę acerbę succũ, & portulacę semẽ (quę biliosis vomitionib⁹ auxilio sunt) admiscem⁹. Cęterũ iocinori, quod intẽperies aut feruor male habet, oxyachantę vel succũ vel baccas, iis quæ refrigerãdo sunt, cõmiscemus. Propterea ei quod santalũ vocãt, & intubi seminibus & succo, addimus quæ mediocriter astringendo refrigerant. siquidem hæc omnia refrigerant, viresque

que iocinoris recreant. Quod si in ventrē ferè defluxio decumbat, & interanea punctim vellicet, vulnúsq; aliquod mordicus creauerit, ita vt dysenteria iā hærere videatur, & sanguis, cruētáque alui proluuies feratur: tum refrigerātibus & astrictoriis adiungito, quæ sanguinem sistūt, & alui strigmenta cohibent. qualia sunt, hypocistidis, arnoglossi & polygonii succus, & succinum, lapis corallius & hæmatites, lemniū cretę sigillum, & qui draconis sanguis appellatur: & quod nosti medicamen dysenteriis adsumi, hoc etiam sanguinis reiectionibus dandum putato. Cū iam pus reiicitur, & tussis lacessit, astringētia subducere conuenit, solísq; sanguinem sisten tibus vti, cum mediocriter refrigerantibus, si homo incalesceret: in iis autem emollientia, & quæ concoquant, quæq; nonnullum sibi lentorē vendicarūt, † superabūdare oportet. qualia sunt hęc: violæ, cucumerum semina, seminis cotoneorum psylliiq; lentus cremor, althęæ maluæq; semen dulcis radix, & adiantum. hæc enim concoquunt, pręstántque vt purulēta facilius extussiātur. Si autem lenta glutinosáque concrescant marrubio & hyssopo lentitiam digerētes & extenuantes, vitio opitulamur. Quemadmodū si per vrinaria vasa sanguis procedat, operæpretium est iis quæ refrigerant, & sanguinem supprimunt, eas cōmiscere medicinas, quæ mediocriter vrinam pellant: non, vt videlicet lotium

† πλεονάζειν.

cieamus,

cieamus, sed vt per vretica, iis quæ sanguinem sistunt, medicamentis viam paremus. Alioqui enim periculum foret, ne derasa ad hunc modum plaga, humor quispiam eò conflueret.

Obstructionis curatio.

POstquàm vtique calorem pariter, & obstructorios quosdam infarctus, in visceribus inesse suspicamur, inibi cũ modicè refrigeratoriis aliqua cõmiscebimus, quæ humores extenuẽt, & infarctitios expediant meatus. Quod si cum duritia & tumore, obstructorii viscerum adfectus adsint, simul quæ emolliant & concoquant, oportet adsumere. Nec te clã est, in numero refrigerantium esse violas, intubum, tam satiuum quàm erraticum, portulacę semen, & consimilia quædam: extenuandi verò, infarctus extricandi, & humores per vrinam subducendi facultatem obtinere, fœniculi radicem, & apij, & anethi, & horum semina: insuper anisum & carõ. Cum verò nõ insignis calor adparet, simul adsumere cõuenit petroselini semen, acorum, capparis radicem, trisaginem, cẽtaurium, & id genus similia. illa enim in eorum classe censentur, quæ magis excoquant, & infarctus vitia reserẽt. At postquã infarctus mediocriter expediueris, althææ semẽ & maluæ, eupatorium, buglossum & buphthalmum, chamæmelum, melilotum, dulcémque radicem, & id genus similia cum sachare param⁹, pro ratione caloris, maiore aut minore incẽdio fla-

flagrantis. Verùm cum frigus magis inualeſcit, lōgè melius, ſi cū melle potiones, vel ex vino ſalgama cōcinnētur. Abſtinendum verò omnibus inibi, quæ inſigniter refrigerant, medicamētis.

Si ſtomachus ventérque frigoris vitio laborent, in vſu ſunt piper, zingiber & agalochum, calamus odoratus & cinamomum, reliquáque odoramenta. inſuper eorum ſemina, quæ flatus diſcutiūt: qualia fœniculi, anethi, cuminum, & ſeſeli, libyſticúmque, & caroum, & talia. Multóq; magis, ſi venter ſpiritu diſtentus turgeat.

Viſceribus humorum crudorum copia grauatis, aut tumentibus, aut iam induratis, adſumenda ſunt, quæ potentiùs obturantes infarctus leuant: cuiuſmodi ſunt, triſago, chamæpitys, centaurium, & amara amygdala, acorum, iris, inula, polium, † calcifraga, & talia. inſuper mēū & hypericon, phu, ſtœchas, atque paroniū. hæc enim, & id genus alia, obſtructis infarctíſque viſceribus ſufficienter auxiliari creduntur: ad hæc etiā aquæ inter cutem incipientibus offuſionibus, & habitui malo.

† σαξίφραγον.

Antidotorum uſus, & compoſitio uaria.

digreſſio

SEd ne cum remediis, in huiuſcemodi potionibus, largior humor congeratur, imbecilliorāque videantur medicamenta: excogitata ſunt antidota, ex herbis, ſuccis, lachrymis, ſeminibus radicibúſque cōgeſtis & operoſè tritis, & in vnū cū melle coactis: quibus magna ex parte ex rerū

calida-

calidarum miſtura conflatis, interdum nõnulla, quæ vel mediocriter vel ſummè refrigerant, & ſtupefaciunt, commiſcemus, ad contemperãdos videlicet contrarios partium quarundam affectus: aut ad prædolentem partis ſenſum ſopiendum. quemadmodum fit in medicaminibus, quę colica nominantur. Sicuti & purgantia quędam eiſdem inſerimus medicamenta, per quæ purgamus, quæ putemus conuenire: non ſecus atque in iis, quæ ſerapia vocãtur, facere ſolemus. Quẽadmodum autem plerunque ex calidis medicaminibus, & melle, antidota cõficimus: ſic interdum & ex frigidis medicamentis in leuorẽ exactum redactis, & cum aliquo ſimplici refrigerãte zulapio in vnitatem coëuntibus, frigefacientia factitamus antidota: ſicuti nonnunquam calefacientia, vt dictum eſt, zulapia.

Paſtillorum compoſitio & uſus.

EOdem modo, diuerſos conficimus paſtillos, refrigerantes videlicet, & calefacientes, aut alium quemuis præbentes effectum. Ratio parandorum hæc eſt: Teruntur in farinam, quæ ad compoſitionem apta eſſe vidẽtur, ſimplicia medicamina: eáque cum conuenienti humore ſubiguntur, & in paſtillos contemperatè digerũtur: qui, cum poſtulat vſus, triti, ex aqua aut vino, aut alio quouis ſucco, vt cõgruere exiſtimamus, præſtantur ebibendi.

CA-

Catapotiorum componendi ratio.

NEc dissimili ratione catapotia factitantur. Verùm hæc potissimũ in iis quæ ventrem deiiciunt medicamentis excogitata sunt, ad fallendam medicamẽti insuauitatem: simul quo iniucũditatis copia bona ex parte deuorãtes lateat: simul ne stomach⁹ adscititiis grauetur humoribus, vernaculis interdum alioqui satis oneratus.

Pulueres.

VLtima simplicissimaque omnium, quæ assumuntur, sunt trituræ, lomenta & pulueres, qui Græcis dicuntur xeria: quæ simplici modo sic offeruntur.

Medicamentorum formæ, quæ quatenus durent.

IGitur neque hæc diu seruare licet, quod facilè & celeriter euanida fathiscunt. at suam vim tueri seruareq; possunt, vasis recondita densis, ita vt imbecilliora fuisse reddita nos non fugiat: iis multo melius, & longiore temporis curriculo, catapotia & pastilli conseruantur. damnantur tamen hæc velut exhausta iam longitudine temporis, & exucto eorum vernaculo humore. Plus iis durant, ad exquisitam consistentiam cocta serapia, vel zulapia. appella enim hæc, vt lubet, barbaris ita vocata nominibus. Sed quæ nos, herbas quasdam decoquentes, adiecto mediocri melle, Chylaria, id est succatiunculas dicimus, vix duabus ferè dierũ septimanis seruari possunt, humore iam corrupto, & perniciẽ sentiente.

chylaria

tiente.

tiente. Diutisſimè omnium antidota permanẽt, melle ſibi talem vendicante naturam, vt ſua commiſtione diutius inoffẽſa ea perdurẽt: improbãtur tamen omnia vetuſtate, & tempore vires remittunt, ac inſuper procedentia, facultatis quoque formulam exuunt.

Cæterùm omnia denſis & anguſtioribus ſeruata vaſculis, melius peculiarem vernaculamq; tuentur conditionem. Sed de iis hactenus: haud enim expedit, in talibus diutius immorari. deinceps itaq;, vnde iam digresſi, rem relinqueramus, indidẽ exordio reſumpto, pſequamur inſtitutũ. Redit à digreſſione ad inſtitutũ.

Itaque quibus in febre medicamentis, vtendum, prætereà in iis quæ febrim comitantur vitiis quam viam ac rationem ſequi deceat abundè nobis dictum eſt. Adiiciemus autem & alia medicamenta, vt ex pluribus, vnicuique vitio magis familiaria deligere, & ex variis miſtionibus, rationem ac viam temperandi animo poſſis comprehẽdere, præcellensq; in talibus ratiocinator habearis. Igitur hinc exorſi, de particularibus diſſeremus medicamentis, & quibus ſingula vitiis ſubueniant. Deinde ſubnectemus purgantium medicaminum recenſionem ac delectum: nouisſimè poſt hæc exponemus, quæ exterioribus vitiis conueniunt medicamenta. Sic enim de cõpoſitis medicaminibus liber fœliciter extremo claudetur vmbilico. Vnũquodq; igitur eorum quæ à nobis tradentur, prius inſcri- Argumentum operis.

ptam

ptam habebit pollicitationẽ, postea species, interdum & rationem cõponendi. Tu verò rationis ac modi nõ imperitus, nõnulla ex iis sumẽs, aut paria cũ iis faciens, & modice misturam mutans, vbi vitiis quibusdã conuenire putaueris, ob sensus vel acumen vel duritiam, temperamentũ, aut consuetudinem, aut aliam quamuis laborantis conditionẽ, secundum subiunctas rationes ac vias, sic facito, facili epilogo & coniectura colligens. Porro quantum ad medicamina pertinet, quædam edentur è Græcis medicorum monumentis deprompta, quædam à nobis ipsis cõposita, nonnulla autem à vulgo audita & probata. ¶nullius tamẽ authoris nomẽ inscribetur, ne nominis causa aliquo pacto ad medicamenta ipsa propensiores simus: nisi in sanè q̃ paucis, & id quidẽ ob necessitatem. cætera vt mortuorũ capita in †polyãdrio iacebũt. Sic igitur exordiamur.

† Polyãdriũ sepulchrũ vel locus vbi sunt multa sepulchra.

De zulapiis & serapiis.

OXosachar, concalfacta corpora potum iuuat: longis iã febribus, quas sanguis aut bilis creauit, & calori iocinoris auxilio est: & lienem ab infarctu liberat. Recipit corticum radicum capparis, apii, & intuborum, singulorum drachmas viginti: spicæ, iunci odorati, seminis apii, singulorum drachmas quinque: foliorũ rubrarum rosarum, & lati seminis fœniculi, singulorum drachmas decem. Omnia in vnum redacta, macerãtur in aceti quàm acerrimi libris sex: quod

quod ad domandũ acorem, quatuor aquæ libris diluatur, noctu diúq; ſimul perſtent: poſtea molliuſculo igni ad dimidias coquantur: tum ius decocti ſubigatur, & omnis euerratur ſpurcitia, zulapiúmq; fiat. Quòd ſi tibi ſit in animo, vt pulchriorẽ cõtrahat colorẽ, croci drachmã adiicies: ſi verò moliri deiectionẽ alui cordi ſit, ſcamonii † ſextulã vnã terito, & cum efferueſcit, ĩmittito. † ἐξάγιον

Serapium ex abſinthio pollet, authore Deo, aduerſus iocinoris & ſtomachi imbecillitatem, & increſcentẽ inflammationem. Lienis craſsitiem extenuat: prodeſt contra regium morbum, calore procreatum: & colicos ſpiritus, cauſſa caloris excitatos, obſtructos infarctus expedit: flatus diſcutit, humoréſq; per vrinam pellit. Habet ſem. abſinthii drachmas viginti: ſeminis caſſutę, florum violarum, & dulcis radicis, ſingulorum drachmas decem: adianthi, radicis iunci odorati, marrubii & lati ſeminis fœniculi, aniſique ſingulorum drachmas quinq;: ſpicæ Indicæ, foliorũ eupatorii, corticíſq; caſiæ coſti Indici, ſeminis apii, folii Indici, nepethæ fluuiatilis, ſingulorũ † duellam vnam. Omnia in vnum redacta, & contuſa, in aquæ multùm calentis, octo libris macerato. quod vbi diem noctémque ſic relictum immanſerit, molli coquito igni, dum ex toto dimidium ſuperſit: ac tunc ſordibus expurgatis, iterato ſpecies: eáſque cum aquæ libris † ἑξαγίας

ſex,

ſex, ad lentum ignẽ tantiſper coquito, dum libræ duæ ſuperſint: cúmque ſubegeris, purgato, & priori repurgato iuri commiſceto, & ad ignem reducens, cum tribus ſacharis libris ad conſiſtentiam coquito. Potionis ex ipſo modus, vncia.

Serapium ſeu ſuccamentum è decocto radicum, autore Deo, & ſplenem, & renes roborat: obturantes infarctus emendat: & excremẽta extenuat: aſſumẽs corticum radicis apii drachmas decem: corticum radicis intubi & fœniculi, ſingulorum drachmas ſex: caſſutæ drachmas quinque: florum violarum, abſinthii, dulcis radicis, adiãthi, aniſi, ſingulorum ſextulas tres: ſeminis fœniculi, ſeminis apii, ſpicæ, eupatorii, ſingulorum drachmam vnam. Omnia ſimul confracta, coquito cum tribus aquæ libris, molliuſculo igni, donec dimidium videris abſumptum: & ſubigito, & iuri decocti ſordibus defęcato, & adhuc calido, mannæ Perſicæ octo drachmas adiicito, caſię nigræ drachmas quindecim: rurſúmq; ſubactis, & colo expurgatis, tertiæ colati iuris parti adiicies ſucci eupatorii drachmas quatuor, item ſucci abſinthii ſiciliquum, olei amygdalis expreſsi tantumdem quod reliquum eſt, in aliis duobus diebus præbeto potandum.

Zulapium contra tuſsim, ſuſpiria, febrim, ventriculi calorem, & dolorem capitis: Sacharis libræ quinque, aquæ libræ decem, ferueſcant ad conſiſtentiam vſque. Stillaticii roſarum liquoris

ris (quem rhodostagma nominant) libra vna cũ ipso ferueat, donec euanescat stillaticius rosarũ liquor, & sachar remaneat: vbi perfrixerit, caphuræ grana quinque adiice.

Zulapium tussiculare, optimum: Dulcis radicis drachmæ viginti: radicis fœniculi, apii, adiãthi, zuphæ, id est, hyssopi, singulorum drachmæ decem: seminis cydoniorum, fœniculi, & anisi, singulorum drachmæ quinque: seminis maluæ, Tangurii & peponis, tragacanthæ, lupinorũ, singulorum drachmæ tres: zyziphi & myxi baccæ, singulorum quadraginta: vuarum passarum exemptis vinaceis, vnciæ duæ: ficuum candidarũ vncia. hæc in vnum congesta, per diem & noctẽ in decem aquę libris madescant, & tantisper incoquantur, dum medietas exhauriatur: & † vbi recrementa fuerint colis exempta, sacharis libræ duæ adiiciantur.

† Simeõ Zethi & Psell. scribunt ἀγγούρια prius σίκυα, id est, cucumeres dicta fuisse † σαρώσας.

Zulapium contra iocinoris calorem, & sitim, quam flaua bilis excitauit: & aduersum vertiginem: viscerum impactiles suffarctus expedit, & stomachum roborat. Recipit violæ, portulacæ, & intubi seminis, singulorum semiunciam: intubi erratici, quod cichorium vocant, intubi satiui, radicis eupatorii, singulorum vncia: santali rubri, rosarum, seminis capitulorum papaueris, singulorum sextula: cucumerum seminum vncia vna, sacharis libra vna.

Aliud, antè dicto frigidius, aluum emolliens:

Continet florum nymphææ femiunciam: feminis portulacæ duellam, oxyphœnici vncias tres, pruna damaſcena quinque & quadraginta, zyzipha quinque & quinquaginta, & baccularum myxi triginta quinque, caſiæ nigræ interani ſextantem, mannæ quadrantem, ſtillatitii intuborum liquoris (intybo ſtagma nominãt) quincuncem: humorem, quem roſę deſtillarunt, quadrantem, aceti tenuis & candidi ſextantem, ſacharis dupondium.

† Aliud zulapium, quod bilis in vomitionem, aut interanea impetus immoderatos cohibet: Capitroſarum ſemiunciam, ſeminis portulacæ drachmas tres, baccarum oxyacãthæ vnciam vnam, ſpodii duellam: ſucci vuæ acerbæ, radicum ſylueſtris intubi, acinorum ſolani, ſingulorum vnciam vnam, ſacharis libram: malorum & punicorum ſucci, ſingulorum vncias tres.

Aliud habetur zulapium, quod immodicas acréſq; vẽtris † promotiones ſiſtit: in dyſẽteria ad iter quò meat vrina, bilis inſultus conuertit: & exuperantem interaneorum calorem infrenat, & obtundit. Habet ſucci oxyacanthæ ſemiunciam, baccarum myrti ſextulas quinque, roſarum vnciam vnam, ſpodij ſextulas tres: maiores baccas huius ſolani, quam phyſſalida, id eſt veſicariam vocamus, ſextulas quinque: apii & fœniculi radicum, & ſimplicium aſparagi coliculorum (qui cocti edendo ſunt) ſingulorũ vnciam

† ἕτερον καταστέλλει τὰς ἀκρίτους καὶ ἀμέτρους ὁρμὰς τῆς χολῆς εἰς ἔμετον, ἢ εἰς ἔντερα .i. aliud, quod bilis immoderatos & qui extra criſin fiunt, in vomitionẽ, vel in teſtina impetus cohibet.

† ῥεύματα

ciam, ſeminis capitulorũ papaueris ſextulas tres, ſachatis ſeſquilibram.

Aliud aduerſus ſanguinem per aluum ſubeũtẽ, & dolores, & teneſmos, & ſi immodicè venter feratur, recipit arnoglosſi, polygonii, hypociſtidos, ſingulorũ vnciam (quæ ſi non adſunt, in horum vicem, ſucci eorum, dimidiato pondere ſufficiuntur) ſeminis † acuti rumicis, ſeminis capitulorum papaueris, ſingulorum ſemiunciam: ſanguinis dracunculi ſextulas quinq;, croci ſextulam vnam: boli armeniaci, lemnii ſigilli, ſingulorum ſemiunciam: rhus quo in culinis ad opſonia vtuntur, vnciam vnam: florũ mali punicæ, roſarum ægyptiarũ, ſingulorũ ſextulas quinq;, vinaceorum vnciam vnam, ſacharis libras duas.

† ὀξυλαπάθυ.

Aliud aduerſus † ſtrigmenta, quæ in vrinis viſuntur, & contra renum vitia, & calculos inibi concretos. Conſtat apii, & fœniculi radicum, ſylueſtris paſtinacæ, helxinæ, id eſt, vrceolaris, ſideritis, ſingulis vnciis: ficorum pinguiũ ſextãte: cicerum rubeorum, & eorum, quæ arietina vocantur, quadrante: ſeminis althææ & paliuri, ſingulorum ſextulis quinque, ſacharis dupondio.

† ψήγματα.

Aliud, ſi ſanguis aut pus à renibus aut veſica feratur, & tusſi aut vomitione extundatur: Cucumerum ſeminum vncia vna, ſeminis capitulorum papaueris, roſarum, ſingulorum ſemiuncia: amyli, lemnii ſigilli, armeniaci boli, ſingulo-

gulorum duella : radicis dulcis,seminis althææ, singulorum sextula:spodii, sextulæ tres : corallii & succini, singulorum sextulæ quatuor: seminis cotoneorum semiuncia,sacharis libra.

Aliud,ad tussim à tenui capitis defluxione cõcitatam, & ad corporis æstum. Virentia papaueris capitula integra decem, dulcis radicis vncia: seminis althææ & adianthi, singulorum sextulæ decem:cotoneorum granorum, & psyllii, singulorum duella: vuarum passarum, detractis vinaceis,vncia:marrubii,calaminthæ, seminis vrticæ,singulorum sextulæ tres: ficorum pinguiũ, palmularum , singulorum sextans:meliloti, siliquarum sine interioribus granis, singulorũ sextulæ quinque : seminis lini & fœnigræci, singulorum sextulæ tres:erui duella, croci sextula, sacharis dupondium.

†καρδίας παλμόν.i.cordis palpitationem.

Aliud, ad †cordis vibrationem , & sensuum stuporem, & inuoluntarios fletus, & inde tum tremores tum terriculamenta profecta . Continet trium santalorum singulatim sextulam , violæ semiunciam : seminis basilici , rosarum, singulorum duellam : florum buglossi & buphthalmi, singulorum sextulas quinque: xyloaloæ sextulam , ambaris sextulam , croci duellam : caryophylli, moschocarydii,id est, muschatæ nuculæ, singulorum sextulas tres : tenuis cinamomi,sextulam : dulcis anisi,carnabadii,id est,doronici,seminis fœniculi, singulorum sextulam : moschi

moſchi grana quinque, ſeminis capitulorum papaueris ſextulam: malorũ dulcium ſucci, quadrantem: ſtillaticii roſarũ liquoris quadrantẽ: lacticis quem intybum ſtillauit, quincũcem: radicum fœniculi, apii, intubi erratici & ſatiui, ſingulorum vnciam: ſampſuchi, chamæmeli, artemiſiæ, ſingulorum ſemiunciam: ſacharis libras tres.

Aliud, ad ſuppreſſos menſes, & ea quæ inde proficiſcuntur ſymptomata. Apii & fœniculi radicum, iridis, acori, ſingulorum vncia: ſampſuchi, chamæmeli, artemiſiæ, ſingulorum ſextula: pæoniæ, quatuor ſextulæ: thlaſpis ſeminis, ſextulæ tres: ammi, ſeminis fœniculi, mæi, ſingulorũ duella: ſacharis libræ duæ. Melius cedet, ſi cum melle conficiatur, præſertim ſi nullus calor infeſtet.

Aliud ad infarctus & tumores viſcerũ, errantes febres, quartanarum reditus, malos habitus, & aquam intercutem: Radicis apii, radicis fœniculi, intubi erratici & ſatiui, fumariæ, ſingulorũ vncia: triſaginis, eupatorii, aiugæ, acori, iris, ſingulorum ſextulæ quinq;: ſeminis althęæ, maluæ, adianthi, bugloſſi, radicis dulcis, buphthalmi, ſeminis petroſelini, mæi, ſecuridacæ, ſingulorum ſextulæ quatuor: radicis verbenacæ rectæ, ſantali, violæ, ſeminis intybi, ſingulorum ſextulæ tres: ſeminis fœniculi, dulcis aniſi, maſtiches, ſingulorum duella: ſpicæ, croci, cinamomi, ſingu-

 lorum

lorum ſextula:ſacharis libræ tres. quòd ſi nullus inceſſerit calor, melius cum melle factitatur.

Hac igitur via ac ratione, zulapiorum miſturas moliri conuenit. habes etiam, quibus auxiliantur vitiis. potes tu quoque ex iam dictis, demonſtrationis formula, & ſimilia tum noſſe, tum ex tua edere officina: & in alienis compoſitionibus ferre iudicium, quibus valetudinibus magis opitulentur. ſi enim tuam impendes induſtriam, medicamenta in eiſdem vitiis, cum copia materiæ redundet, ex radicibus, fructibus, herbis, ſuccis, & quæ doctorum ars cum conſideratione pro hominum ſalute prodidit, inuenientur. Proinde illinc materias colligens, & inſitas vires animo reuoluens, inibíque ægritudinum genera diſcernens, temperaturas, conſuetudines, victus rationem ægrotantium condiſcens, ſecundum demõſtratam formulam dictis vtere medicamentis: próque tua fruge facias, variáſque Minerua.

De *paſtillis*.

DEinceps verò, vbi documenti modo, quæ opus eſt, de paſtillis dixerimus, & doctrinæ viam ac rationem, quæ in iis obſeruari debet, expoſuerimus: ſtatim modo ſimili, antidotorum mixturas ſcripto mandabimus, quæ pollicitationis breuitatem minimè auferent. Cæterùm licebit tibi, viam ac rationem ſingulorum mædicamentorum, quam vocant Methodum

thodum, percallenti, quæ in aliis volumini- bus sunt sparsa, diiudicare: quibus etiam opem ferant: & si promissio, quam fronte gerunt, tem- peramento respondere queat.

Pastillus ex Indico rheo, prodest aduersus io- cinoris & lienis obturantes infarctus: stoma- chum roborat. Recipit rosarum siccarum, ab- sinthii, rhei Indici, singulorum duellam: spodii, spicæ Indicæ, iunci odorati, lachę purgatæ, succi eupatorii, singulorum drachmam vnam: santali, citrini, croci, & casiæ, † duplum, id est sicili- quum: tragacanthæ, mastiches, singulorum ses- quisextulam: contusa & cribrata, cum succo fœ- niculi subigito, & digerito in pastillos: qui den- tur ebibendi cum aqua, in qua maduerit lacha: vel ex oxosachare. † διπλ- ϖλᾶν.

Pastillus ex eupatorio, iecur & stomachum adiuuat inflationes discutit, & horrores febriũ, quas pituita creauit. R. Absinthii, iunci odorati, succi eupatorii, rosarum, seminis fœniculi, ma- stiches, singulorum semiunciam: anisi, tragacan- thæ albæ, singulorum drachmas duas: santali, ci- trini, spodii, singulorum sextulam: Tusa, & in cerniculo creta, cum intuborum succo subigito, & in pastillos ex aqua, in qua lacha maduerit, & oxymelite cogito.

Pastilli è spodio, contra febrim acutam, & iocinoris excalfactionem, & aduersus sitim quæ continenter excruciat. Rosarum, sextulas

 qua-

quatuor: ſpodii, ſeminis portulacæ, ſucci dulcis radicis, ſingulorum duellam: tragacanthæ candidæ, & amyli, ſingulorum ſeſquidrachmam: ſacharis duellam: ſubigito cum pſyllii ſucco. potio ex punicorum malorum latice.

Paſtillus diarhodôn, id eſt, è roſis, cor & iecur roborat: dolorem capitis abigit, à ſanguine vel flaua bile cõcitatum. modus eius eſt ſextula, cum roſarum vel nymphææ zulapio. Roſæ, tria ſantala, ſpodium, ſemẽ portulacæ, intubũ, violę, ſingulorum ſextula vna: Contuſa, cribratáq;, ex ſtillaticio roſarum latice fermenteſcunt.

Paſtillus Diaſantalôn, id eſt, è ſantalis, ſtomachi robur firmat, calorem iocinoris mulcet. Santali rubri, candidi & citrini, roſarũ, ſpodii, ſeminis portulacæ, ſeminis maiulii, ſeminis cucumerum, parem modum: Contuſum & cribratum, ex zulapio caphurato ſubiges, vt fermẽteſcat: ſed zulapium duplum omnium aliorũ pondus habeat. modus, duella.

Paſtillus ex oxyacantha, obſtructo iocinori lieníque auxiliatur: pellit ſpiritus in iis, qui iam aqua inter cutem tentãtur: potionis modus ſextula, cum oxyſachare & aqua. Oxyacanthæ, ſucci dulcis radicis, roſarum, ſeminum cucumerum, ſingulorum drachmas tres: maſtiches, ſpicæ, eupatorii, ſingulorum drachmas duas: rhei, croci, ſingulorum drachmam: caſſuthæ, ſeminis intuborum, ſingulorum drachmas tres: ſpodii,

dii, sextulam: mannæ, drachmas sex: Tusa, cribratáque, in pastillos redigito.

Pastillus è mastiche, valet aduersus ventriculi perfrictionem: iis prodest, quos ructus torquet, & quorum cibus in stomacho coacescit. Mastiches duellam: seminis apii & petroselini, rosarũ, seminis basilici, dulcis radicis, singulorum sextulam. tusa hæc, & cribrata, cum aqua apii subigito, dum fermentescant.

Pastillus contra calorem & siccitatem fauciũ & thoracis, & eius exasperationem, & flagrantẽ æstum pectoris & septi transuersi. Habet gummis, tragacanthæ, seminis portulacæ & cotoneorum, althææ, singulorum duellam: succi dulcis radicis, sextulam: seminis cucumerum, & lactucæ, damascenorum lachrymæ, singulorum scrupulos duos, † quæ tusa cribratáque, & cum sachare cocta, in eo quem saliuarunt lentore subigito: & coacta in orbiculos, ore, dum resoluãtur, detineto.

† κόψας σήσας, φυράσας μετὰ σακχάρ ἑψημένοις μυοχάδας.

Alius pastillus aduersus cœliacum, lenitate intestinorum, vel stomacho conceptum. Rosarũ, spodii, singulorum semiuncia: oxyacanthæ, drachmæ sex: seminis acuti rumicis, hypocystidis, Arabicæ gummis torrefactæ, acini malorum punicorum, myrti baccæ, coriani sicci (colliganda, & per diem noctémque in acerbo aceto macerãda, deinde siccanda & torrefacienda) singulorũ duella: luti armeniaci, drachmæ quinque: farinæ

zyzi-

ἡ πασπάλη ἀπὸ μύλωνος tenuissimā farinā molēdini. nos farināvolatilē vulgò appellamus, alio noīe χόνος dicitur. zyziphorum molitorum, & †polentę à pistrino, singulorum drachmæ duæ sesquiscrupulus: tusa & cribrata, cum expresso cotoneorum succo, vel baccarum myrti zulapio, aut acidorum malorū, subiguntur.

Alius pastillus, qui semel epotus, auxiliū adfert: Mali corii, gallarum, baccarum myrti, singulorum drachmæ octo: rhous Syriaci, drachmæ quatuor & viginti: Tusa & cribrata cum vino acerbo albo subiguntur.

Alius pastillus, qui sanguinem supprimit supernè ruentē: cruentas excreationes cohibet: dehiscentia venarum, quæ in pectore & pulmonibus sunt, oscilla claudit, ruptáque iungit: cruorē à plagis, aut vulneribus, stomacho vel intestinis illatis, manantē deorsum, tenet: sanguinis corruptionem fœminis sistit, cùm suspicio est, venæ †in genitalibus ruptæ. prodest & iis qui sanguinem cum lotio excernunt. ἐν τῇ ὑστέρᾳ. i. in utero. Luti armeniaci, gummis arabicæ, seminis portulacæ, singulorū semiūcia: spodii, seminis rumicis acuti, seminis rosarū rubrarum, baccarum sylvestris pruni, baccularū myrti, coriādri sicci & torrefacti, amyli tosti, singulorum drach. tres: acatiæ, succi hypocistidis, corallii cremati, cornu cerui usti, cineris maiorū coclearum crematarum, singulorum drachmæ duæ: rhous Syriaci, duella: tragacanthæ candidę, succini, seminis althææ & maluæ, torridorū, singulorum sesquidrachmæ: Contusa & cribrata,

cum

cum ſucco arnogloſſi vel ſanguinalis herbæ, vel cuiuſuis conſimilis, ſubigũtur, & in paſtillos formantur: qui cum aliquo aſtringente zulapio bibuntur.

Paſtillus alius contra vitia †ileoſorum, frigore contracta, efficax: Abſinthij, ſeminis apii, aniſi, tenuis cinamomi, caſiæ duplicatæ, ſingulorũ duella: myrrhæ rubræ, ſpicæ Indicæ, † fibrinorũ teſtium, ſingulorum ſextula: piperis longi, lachrymæ papaueris, croci, ſingulorum drachma. tuſa cribratáq;, ſucco fœniculi aut apii permiſcentur. †ἠλεῶν. †κασορόχων.

Paſtillus contra regium morbum efficax, lienis & iocinoris infarctiles ĩpactus expedit. Hyeræ amaræ, abſinthii, ſucci eupatorii, ſingulorum drachmas duas: foliorum roſarum, ſpodii, iunci odorati, aſari, & Indici folii, ſingulorum ſextulã: lachæ repurgatæ, rhei Indici: ſingulorum drachmam: tundito, cribróque creta, cum intubi ſucco ſubigito.

Paſtillus è capparibus, aduerſus lienis œdemata: Corticum radicum capparis, coſti Indici, lachæ mundæ, ſpicæ, polii, rhei, ariſtolochiæ rotundæ, caſiæ duplicatæ, iunci odorati, hyeræ amaræ, ſingulorum duellam: miſceto cum apiorũ aqua, aut cum aceto.

Paſtillus è papauere, valet aduerſus vehementiſſimum calorem, & vulnera renum, & veſicæ: Seminis papaueris, ſeminis lini, tragacanthæ, amyli,

amyli, æquas singulorum portiones: tusas & cribratas, subigito cum muccosa, quam expuunt, aqua, & seminis althææ concretitio liquore.

Pastillus ad plagas renum, vesicæ, & vulnera eorundem, à flauæ bilis fluxu orta: impetum sanguinis infrenat, plagas expurgat, & cicatricosa resiccat loca: thoracis asperitati prodest. Cucumerum & portulacæ seminum, amyli, boli armeniaci, singulorum duella: tragacanthæ, & gummis, spodii, rosarum, nerei, (quam rhododaphnē appellant) seminis cotoneorum & althææ, singulorū drachmæ duæ: seminis lactucæ, papaueris, & apollinaris herbæ, (quam vocant hyosciamū) psyllii torrefacti, singulorum sextula: tundūtur, & in cerniculo creta, cum aqua subiguntur. potio datur ex aqua, vel rosaceo, vel concretitia sanie, quam inter coquendum remiserunt.

Pastillus alius, iis salutaris qui sanguinem cū lotio fundunt: item purulenta expuentibus, aut sentientibus exulcerationem: Seminum cucumerum, portulacę, spodii, succi radicis dulcis, singulorum sextulæ quatuor: seminis lactucæ & althææ, gummis, rosarum, amyli, tragacanthæ, seminis papaueris, singulorum duella: nerii, seminis cotonei, rumicis acuti, singulorum drachmæ duæ: luti armeniaci, & acaciæ, singulorum sextula: croci semisextula, id est, scrupuli duo: Tunduntur, & cribro cernuntur, vt cum psyllii succo fermentescant.

Ryphæi

†Ryphei pastilli conficiendi ratio. Palmularũ triens: ficorum pinguium vnciæ octo: vuarum passarum, libra: spicæ nardi, bdellii, singulorum vncia: nucis pineæ, ladani, pilularum cypressi celticæ, hastulæ regiæ, styracis, baccarum minoris iuniperi, inulæ, aspalathi, terebinthinæ, singulorũ vnciç duæ: vice folii, spicæ quadrans substituitur: baccarũ iuniperi maioris, vnciç octo: croci, sabinæ, bryi, id est, musci arborũ, iunci odorati, cyperi, cardamoni, ammoniaci, sertulæ cãpanæ, rosarum, singulorum quadrans: costi, selibra: vini odoroti, quantum ad ea excipienda satis sit. Τρυφαίς vel ὑφαίς.

Pastillus contra diabetem, id est, vrinæ profluuium: Rosarum, spodii, gummis torrefactæ, singulorum semiuncia: santalorum, cãdidi & rubei, succi dulcis radicis, tragacanthæ, seminis portulacæ, psyllii tosti, singulorum drachmæ duæ, & sesquiscrupulus: acatiæ, florum syluestris punici, amyli torridi, seminum cucumerum, singulorum sesquisextula: caphuræ, siliquarum, seminum rosæ, althææ, grani cotoneorum, succi hypocystidos, rhus obsonarii, sanguinis draconis, seminis arnoglossi & rhei Indici, singulorum drachmæ duæ: Tunduntur, & in cerniculo cribrata, fermẽtescunt. & cum succo psyllii, qui cum stillaticio liquore rosarũ exiit, digerũtur in pastillos, quorũ singuli drachmam æquent. ex his vnum cum quopiam adstringente zulapio bibisse satis est.

Pastillus contra stranguriam, id est, vrinæ stilli-

licidium, quod ex vesicæ laxitate & humiditate accidit: Gládium, cyperi, thurisq́ue, singulorum æquæ portiones sumuntur: quibus tritis, & cretis, paulũ sacharis adiicitur. bibat ex eo, qui malè valet, duellæ pondus, appetente diluculo.

Pastillus contra copiam vrinæ præter voluntatem fluentis. Rutam siccam, tusam cribratámque, ex melle subigito, & præbeto bibendam.

Pastillus, qui aduersum vesicæ molliciem, tridui spacio bibitur. Myrobalani drachmę viginti: damasonii, & fructuum ab exoticis deportatorum, qui ampelilizes & embezi nominãtur, & capitum papaueris, singulorum drachmæ decem: folii Indici, zyperi, rosarum, succi hypocistidos, thuris masculi, & bdelii, singulorum drachmæ quinque: lachrymæ papaueris drachmę duę & sesquiscrupulus: Tusa & creta, melle subigũtur. modus potionis sit, duarũ drachmarũ: & sumatur ex aqua, in qua ferrũ candẽs fuerit restinctũ.

Pastillus amarus, qui opitulatur stomachicis, item iocinorosis, lienosis, & regio morbo laborãtibus. Semen apii, asarum, absinthium, anisum, amygdalę amarę, singula vnciatim miscentur.

Pastillus è seminibus, qui iis auxiliatur quos iugis torquet defluxio, & quibus destillatio ad stomachum decumbit: item iis qui in vomitiones effusi cibum reddunt, cœliacis, dysentericis, ex austero vino vel myrite: sanguinem excreantibus, cum posca. datur quoque fœminis, genitalium

talium locorum defluxione laborantibus, ex decocto apii. somnũ quoque conciliat, ex luteo oui fronti illitus. Lachrymæ papaueris, triẽs: anisi, libra: seminis apii, libra: fœniculi, deunx: ammis, selibra: hyosciami, id est, apollinaris herbę, selibra.

Pastillus Dia coralliôn, id est è coralliis, prodest sanguinolẽta excreantibus, dysentericis, cœliacis, cibum fastidientibus: Corallii, cretæ (quæ aster cognominatur) florum syluestris punicæ, hypocystidis, succi acatiæ, myrrhę, rhei pontici, dauci cretensis, omphacii, tragacanthę, singulorum vncia: rhoûs Syriaci, quadrans: radicis symphyti, triens: dulcis radicis, lemnii sigilli, amyli, singulorum sextula † vna & semis, gummis, lachrymę papaueris, mysti, baccularũ Aegyptiæ spinę, singulorum semiuncia: Excipiuntur arnoglossi succo & vino austero.

† Hoc loco exemplar Græcum habet χυαθῆς, sed ea vox corrupta videtur. quidā κυαθο legē. putant.

Altera eiusdem pastilli conficiundi ratio. Lapidis corallii, vncia: anagallidis herbę, vncia: rhei barbarici, sextans: spicę nardi, sextãs: myrrhæ troglodytis, sextans: pęonię, sextans: aristolochię lõgę, triens: gariophyllorum, quincunx.

Pastillus diaphyssalidôn, id est, è vesicaria, pollet aduersus renum & vesicę exulcerationes, fluentem sanguinem, & muccosa strigmenta excernentes, & vehementi dolore conflictatos. Huius pastilli pondus drachmę datur, febri non obnoxiis, ex dulci vino vel sapa: febrientibus, cum dilutiore vino: Lachrymę papaueris,

seminis

ſeminis cucumis,ſeminis apii apollinaris herbę, fœniculi,veſicariæ,ſingulorũ quadrãs: amygdalorũ,triẽs:croci,ſextãs:vini dulcis,quãtũ erit ſatis,vt hoc veluti fermẽto cõcreſcãt in paſtillos.

Amazonis paſtillus valet ad ilei dolores, ſtomachi ſubuerſionem:aduerſum omnem inflationem:ad æſtuantes,cibum vomitione reiiciẽtes, ad punctiones,morſuſque ſtomachi,cũ vini protropi (id eſt,ſponte profluẽtis è lacu) cyathis tribus:cholericis & cibos euomentibus,ex frigida: cœliacis & dyſentericis,cũ baccarum myrti decocto:lienoſis, ex tribus aceti mulſi calidi cyathis. Seminis apii,aniſi,cinamomi, ſingulorum vncia:piperis,myrrhæ,lachrymæ papaueris, caſtorii,ſingulorum duella:abſinthii ſextulæ quatuor. Excipiũtur aqua,& denſantur in paſtillos.

Aſter Aniceti, dolores ſopit,& ſomnum conciliat,& ad multa vtilis eſt: ſtomachi vitia mirè ſanat:acidos ructus,& ægras coctiones diſsipat: † minora,& vertigines,inflationéſque diſcutit: ad dolores capitis,tum potus,tum ex aceto reſolutus, & appoſitus fronti,efficax eſt: valet cõtra aurium dolores,adiecto perdicii herbæ ſucco:& aduerſus dentium dolores,ſi cibo indatur,galbano exceptus,aut ficulneo lacte. Valet etiam contra oculorum epiphoras,& †tonſillarum inflammationes,vino dulci dilut⁹,& gargarizatus: aduerſus omnem ſanguinis impetum, ex myrtite vino:ad deſtillationes,diuturnas tuſſes, ex muſteo

† στρόφους .i. dolores inteſtinorũ quæ tormina à latinis dicuntur.

† παρισθμίων.

ſteo vino Thereo, aut protropo, id eſt ſua ſponte è lacu ꝓfluẽti. Efficaciter auxiliatur tabẽ ſentientibus, & purulenta extusſientibus, marrubii decocto diſſolutus: ſanguinolenta excreantibus, dyſentericis, cholericis, ſucco ſanguinariæ dilutus: contra omnem ſerpẽtis ictum, ex ruthæ decocto potus, præſidio eſt: febrium per circuitus repetentiũ † ſignificationes ſoluit, duabus horis anteà potus ex vino diluto: menſes fœminis ſubducit, cum arthemiſiæ decocto ſolutus: veſicæ affectus, in mulſo vino diſſolutus, tollit: mulieribus ſimiliter opitulatur, quas vteri ſtrangulatus exanimat: articulariis dolorib⁹ & podagricis, decocto gentianæ reſolutus, efficax eſt. Ratio componendi & ſpecies, ſic habent: Myrrhæ, ſpicæ nardi, caſiæ, cui fiſtulæ cognomentũ eſt, lemnii ſigilli (in quibuſdam & piperis & mandragoræ radicis corticum) ſingulorum ſextulæ quatuor: croci, lachrymæ papaueris, ſingulorum vncia: dauci cretẽſis, ſtyracis, aniſi, ſeſelis, ſeminis apii, ſingulorum ſextulæ octo. Succi & lachrymæ, vino odorato macerantur: reliqua tundũtur, & in vnum redacta, digeruntur in quot voles paſtillos.

† ἐπισημασίας.

Paſtillus ad vlcera veſicæ & renum: Nucis põticæ: ſeminis cucumeris, iuglandis, ſextulæ tres: ſeminis cãdidi papaueris, croci, ſeminis maluæ, lachrymæ papaueris, ſingulorum vncia: ſeminis apollinaris, candidi & nigri, ſingulorũ duella:

ſucco ſanguinariæ, & melle deſpumato excipiũtur, & trium obolorum, id eſt, ſiliquarum nouẽ pondere præbentur.

Paſtillus dialectrũ, id eſt, è ſuccino, auxiliatur ſanguinem expuentibus: & tam inueteratis quàm recentibus tusſibus medetur: † pthiſicis, humorem à pectore reiicientibus, purulenta excreantibus, cœliacis, dyſentericis, inflante ſpiritu turgentibus, opitulatur: eſt & medicamentum † finiendis doloribus efficax. Pſyllii drachmæ quinque & quadraginta: iris, maſtiches, ſuccini ſcobis loti, croci, ſingulorum drachmæ triginta, lachrymæ papaueris drachmæ quindecim. pſyllium, in feruentem aquam coniectũ, ſinitur macerari, dum glutinoſa & viſcoſa euadat aqua: dein humor exprimitur, & in paſtillos formatur.

† ἀναφορικοῖς.

† exẽplar Græcum hoc loco habet ὠτικὴ ἀγαθή, quæ vox ſignificat, eſt optimũ auriũ medicamentum.

Paſtillus Neapolite, prodeſt cruenta & purulẽta extusſientibus, pthiſicis, & iis qui defluxionum iniuriis ſunt obnoxii. Apollinaris herbæ candidi ſeminis, ſucci mandragoræ, ſingulorum drachmæ quinque: thuris maſculi, lachrymæ papaueris, Hiſpanæ ſtyracis, ari, ſingulorum drachmæ decem: maſtiches, drachmæ viginti: ſcobis, ſuccini, croci, ſingulorum drachmæ triginta: ſucco pſyllii excipiuntur, in paſtillos coguntur.

† Paſtillus Sphragis, id eſt, ſigillum cognominatus, dolores ſopit: defluxiones, tormina & tusſim

† In Græco exẽp. eſt alius

tussim siccat. Myrrhæ drachmæ sex: papaueris lachrymæ, thuris, croci, singulorũ drachmæ quinque: mandragoræ corticis, apollinaris seminis, singulorum semiuncia: vino excipiuntur, & quibusdam fabæ magnitudine, aliis obolorum duûm pondere dantur.

ordo, nã Philippi pastillus huic præponitur.

Pastillus Philippi, medicamentum est, dysentericis, & sanguinem excreantibus fabricatum. Florum syluestris punicæ, acatiæ, hypocystidis succi, lachrymæ papaueris, rhus, thuris, myrrhę, croci, gallarum, lycii, aloës, rhei pontici baccarum myrti nigræ, mali corii, singulorum semunciam: vino Italico excipe, & febrim non sentientibus ex vino præbe, febricitantib. ex aqua.

Pastillus After appellatus, dolores lenit: omnem sistit defluxionem: † omnem intestinorum dolorem mulcet: destillationes & vesicæ defluuia cohibet: strangulatus, vteri, & menstruos fœminarum cursus, defluxionem ad stomachum decumbentem, dysenteriam, & sanguinis reiectionem supprimit. Croci, terni oboli: seminis apollinaris herbæ, drachmæ sex: seminis apii, drachmæ sex: anisi, styracis, dauci seminis, singulorum drachmæ quatuor † croci, lachrymæ papaueris, singulorum drachmæ tres: castorii, myrrhæ, singulorum siciliquus (sunt qui quaternas succi mandragoræ drachmas adiiciant, vt Xenocrates) piperis candidi, drachmæ sex: ex aqua coguntur in pastillos, qui trium o-

† ἀλγήματα καὶ πάντα τὰ ἐντὸς, omnes interaneos dolores.

† Cnici.

bolorum pōdus æquent,& ex aqua præbentur. atq; ita de pastillis dictũ sit. Ex iam dictis occasiones sumens, ipse pro tuo potes ingenio pastillos componere, & eos quos alii composuerunt, discernere, cui quisque vitio conferat. Nunc verò de antidotis dicamus.

ANTIDOTVS THERIACA.

De theriace, vt quæ in omnibus antidotis ob multiplicem vsum potiores partes obtineat, primùm differemus: deinde reliquas ordine prosequemur. Cæterùm non idem omnibus modus, neque cum iisdem liquoribus præbetur. siquidem in deleteriis, exitialibúsq; venenis, aut ferarum, quæ virus eiaculantur, ictibus, nucis ponticæ seu auellanæ magnitudine datur: inueteratis capitis doloribus, vertiginibus, aurium grauitati, aut oculorum hebetudinibus, aut sensorio gustus instrumento languenti, ex vino medetur: comitialibus, suspiriosis & orthopnoicis, id est, iis qui non nisi erecta ceruice spirant, ex aqua mulsa pota auxiliatur. vtpote quæ lentitiã humorum incidat, & glutinosam crassitiem extenuet, sic vt facilè eiectioni pareant: recenti quoq; & vetustæ tussi, & quibus thorax aut latus dolet, auxiliatur: si febri careant, ex vino mulso: febrim sentientibus, ex aqua mulsa, vel hydromelite. sanguinem reiiciētibus, siue à pectore, siue à pulmonib⁹ excutiatur, succurrit: si quidem recens fuerit excretio, ex posca: si iam vetu-

ſtatem ſenſerit, ex aqua in qua radix ſymphyti ſit incocta: tam appetente diluculo, quàm veſperi propinetur. itidem ſi ſtomachus negotium faceſsit, & venter ægrè concoquat, aut imbecillitate tententur, ſi torminibus interanea excrucientur, ſi ſtomachus flatuoſo ſpiritu turgeat, aut ſi colicus dolor, aut ileoſus iamdiu torſerit, iis theriaci antidoti modus conuenit, qui nucis auellanæ tuberculum æquet, & ex aqua calida datur cholericis, & cœliacis, † & deliquium animi patientibus: conſimili ratione, tinearum genus omne mirum in modum abigit, ex ſucco menthæ datũ. Hoc antidotũ, † inteſtinos adfectus, & regium morbũ, ingenuè perſanat: ſed febri non cõflictatis, ex mulſo: febrientibus, ex aqua mulſa præbetur. Induratos abſumit lienes, eorum colluuiem depaſcens, ex aceto mulſo datum, calculos in renibus comminuit, cum apii aut petroſelini, dauci vel aniſi aut alterius conſimilis decocto propinatum: vrinæ difficultati, & veſicæ exulcerationibus medetur, ex ſapa vel paſſo non febricitantibus exhibitum. cùm omnibus longis febrium horroribus, tum maximè quartanarum opitulatur, quoties eo quis ex arte vtitur † nimirum poſtquàm tranſacto vigore, morbus ſeſe remiſerit, & vomitiones à cœna elicuerit. Datur etiam hydropicis, cum decocto ſecuridacæ, vel ſimilium: iis quibus corpus inæqualiter tumoribus ſcatet (anaſarca græci, quaſi ſubter carnem vocant)

† καὶ καρδιακῶν συγκοπτομένων .i. quib⁹ ex affecto vẽtriculi animi deliquiũ cõtingit.

† ἐςοτικὰς διαθέσεις

† ἤγουν μετὰ τὴν παρακμὴν καὶ τοὺς ἀπὸ δείπνου ἐμέτους.

vocant)item elephantia laborantibus,sæpe præsenti est auxilio. membrorum resolutiones idẽtidem potu sanat: fœminis purgationes ciet epotum: emortuos partus excutit, ex passo vel aqua mulsa, in qua ruta vel dictamnum inferbuerit, fabæ magnitudine assumpta: ex pedibus laborantibus, & iis quorum ruens humor articulos impleuit,adiumento est,postquàm se morbi vigor inclinauit, non semel, sed sæpenumero drachmæ pondere repetitum, & pro laborantis viribus ac temperatura datum. Non corpus modò, vt dictum est,sed & ægritudines quoque animi persanat, Eorum igitur qui melancholia id est, insania quam atra bilis creauit, laborant, varias imaginationes tollit, subinde vsurpatum medicamentum: quippe quod veluti è conceptaculis, & liene bilem atram ebibens exhauriat: quemadmodum & ictis à serpente venenum, & lymphaticis aquæ pauorem (pessimam vitiorum labem) iugiter datum summouit: & præbibitum persæpe, cùm pestifera grassatur lues, noxam prohibet. iis qui per hyemis gelicidia iter faciunt, adsumere prodest, tanquam bonũ visceribus indumentum, suum eis calorem impartiẽs,ea corroboret. Dare autem oportet, cũ, qui sumit, probam fecerit coctionem: qui crudus fuerit, & ciborum plenus, ebibat ieiunus. per æstatem,aut florentem ætatis iuuentam,aut vigentem caloris inclementia, præbere nequa-

quàm

quàm oportet, nisi impendens periculum vrgeat: quãuis neque tum demum copiosum, aut frequens medicamentum erit ministrandum. Verùm iis, qui transacta iam iuuenta, ad senectam spectant, aut ætate confecti sunt, & multum & sæpe, non ex aqua modò, sed ex vino quoque ad vnam vsque drachmam sumere conuenit: pueris verò prorsus inhibendum, quippe medicamenti magnitudo, pueriles vires longè superat, corpúsque facilè resoluens carpit, insitúmque spiritũ celeriter extinguit. Porrò medicamentũ hoc Andromachus, princeps Neronis medicus, primum condidit, eíque declarationem heroicis carminibus descriptam nuncupauit. Sed Galenus mutata forma, compositionem reddidit meliorem. Cuius medicamenti componendi talis habetur ratio. Pastilli scyllini, triens: pastilli theriaci, sextans: hedychroi spissamenti, sextans cinamomi, piperis communis, lachrymæ papaueris, singulorum sextans: rosarum, scordii Cretensis, seminis napi, iris Illiricæ, agarici põtici, succi dulcis radicis, singulorũ vncia: zingiberis, myrrhæ, croci, radicis quinque folii, radicis rhei pontici, nepetæ, marrubii, petroselini, stœchadis, costi, piperis candidi, piperis longi, dictamni, iunci odorati, styracis, seminis apii, seselis masiliensis, thlaspis, ammis, trisaginis, aiugę, malobatri, succi hypocystidis, nardi celticę, mẹi athamãtici, gẽtianæ, anisi, seminis fœniculi, lẽnii sigilli, chalci-

 tis

tis, amomi, acori, fructus balſami, phu pontici, hyperici, acatiæ ſucci, galbani, gummis, cardamomi, ſingulorum duella: bituminis, dauci cretẽſis, ſagapeni, opoponacis, caſtorii, centaurii tenuis, ariſtolochiæ, ſingulorum ſextula: opobalſami, vncia vna, mellis attici, & vini optimi bonũ ſpirantis odorem, quantum ad ſuccos & lachrymas ſatis ſit.

Compoſitio Hedychroi.

MAris, aſari, amaraci, aſphalathi, iunci odorati, croci, calami odorati, phu pontici, caſiæ, folii Indici, ſingulorum duella: xylobalſami, opobalſami, cinamomi, coſti, ſingulorum ſextulæ tres: myrrhæ, foliorum malabathri, nardi ſpicæ, ſingulorum ſextula: amomi duella: maſtiches ſextula: vini odorati quod ſatis ſit. Andromachus croci & caſiæ ſingulas vncias ſcripto mandauit.

Theriacæ parandæ ratio iuxta Galenum.

DE parandæ theriacæ ratione ſapientiſsimus Galenus inquit: Dictum mihi anteà fuit, quòd ſi quis ſemel effici medicamẽtum viderit, non amplius opus habiturum, vt iterum aut tertio cõſpiciat. Verùm vt optima in ſingulis medicamenti generibus diſcernat, non ſemel, neque iterum, neque tertiò, ſed perquàm ſæpe contueri conuenit, quæ in vnaquaque regione naſci putentur. Itaque nunc de omnibus ſummatim & perquàm paucis dicam. Radices quæ vſui accõmodantur, intentum corticẽ, non rugoſum, neq;

ieiunum

ieiunum habere oportet (hoc bonæ radicis argumentum est.) Fructus cũ suis surculis & nominatis germinibus, esse præcellẽtes, & multos, vnà † cum iis quæ fructibus adhærescunt. Semina eligantur altilia, & vegeta, quæ perinde atq; radices, ob extensionem corticis cognoscuntur: ipsos succos & lachrymas eligere conuenit, tẽpore vel squalore non exiccatas, quæq; non elanguescentes & euanidas præ se ferãt qualitatũ suarũ conditiones, sic vt gustus iudicium subeuntes nihil resipiant. Fructus itaque † cum germinibus, pulpis & carnibus, floribus & foliis, in theriacen coniiciuntur: herbæ insequentium simplicium, scordii, nepetæ seu calaminthæ, marrubii, stœchados, dictãni, polii, aiugæ, trisaginis, hyperici, centaurii: radices horum, zingiberis, iridis, rhei, quinquefolii, costi, nardi Indicæ, nardi celticæ, gentianæ, mæi, acori, phu, aristolochiæ tenuis. Semina istorum adiiciuntur, napi, petroselini, thlaspis, ammis, anisi, fœniculi, cardamomi, dauci. Hæc igitur genera in Aegyptiacas pilas demitti conuenit: quippe quũ durissimæ, nihil sui corporis inter tundendũ remittunt, quod in attritu contusis inseratur. Adduntur quoque hic simul pastilli scyllini, & pastilli theriaci, hedychroi spissamentum, piper nigrum, longum & album, & rosæ siccæ: prætereà agaricum, crocus, si fuerit siccus: iuncus odoratus, lemnium sigillũ, chalcitis assa, amomum atque cinamomum, &

† περικαρπίοις, quę vox significat ipsius fructus carnem cũ seminibus & nucleis.

† μετὰ τῶν βλαστημάτων καὶ περικαρπίων.

fistula

† Exẽpl. Græc. habet καρ-πὸς, in margine tamẽ scripta est vox ὀπός

fistula casiæ, balsami † liquor & acatia, nisi mollis fuerit, & humore imbuta: tunc etiam castoriũ & bitumẽ, sed vino madefacta. crocus in polentam teri debet, si tutius esse videatur, nõ ipsum tũdere humidum. omnes liquores vino macerentur, vt dissolutioni & trituræ reddantur opportuniores. cõcretus sagapeni succ⁹, & oppopanax, & lachryma papaueris (quod & meconiũ, & opium nominant) & acacia, quoties humens & contusu difficilis esse tibi videbitur, succus hypocystidis & radicis dulcis: thlaspis verò & napi semen, secundũ primas compositiones (vt maiores meos parare videbam) vnà cum pertusis in pilam indebam. Deinde contemplatus ob glutinosum lentorem implicita cohærere pilæ ventri cauo, vbi sola seorsum anteà contriuissem, putaui in illam nonnihil vini infundendũ, quousque tota terendo proluerẽtur: posteà iis vino madefactis, & detritis, admiscenda. Thus priuatĩ leuigare in mortario per se leniter, † ne latiùs protendatur, melius fuerit: posteà si tibi fuerit in animo, commi nutum habere in prõptu, cum tritis in vino respergas. Gummi in vino macerari potest, idémque per se, & cum thure leuigari. proinde, quo dictum est modo, parentur omnia: quædam in mortario, cum vino trita: quædam comminuta, & arida, in farinam leuigata. Verùm quo tempore in vnitatem omnia coire debent, cum melle in duplici vase eliquescant: primum resina, deinde

† ὡς μὴ πλαδύ-νειν.

deinde ſtyrax & galbanum priùs in pilà fracta, & contuſa piſtillis, aut vectibus ferreis, inſtillato melle crudo quàm pauciſſimo: poſteà ſolis dilatata digitis, reſina in melle liquefacta, excipiantur, & ſic operculatis rurſum vaſis reſoluantur. Quippe melius, iis contectis, non amplius mel agitare: ſed vbi vaſculo præſenti operculum indideris, in aqua coctionẽ moliri. His verò liquefactis, arida adiiciantur iis quæ ex vino trita fuerant, & ad ſufficientem vſque craſſitudinem denuò miſceantur. Sic paulatim liquefacta, tepida tranſfundantur: & cum aliis in mortario, magno cochleari, robuſto homine, vt in vnum concreſcant corpus, ſubigantur: & poſtquam in vnitatem perbelle coïerint, & iam quod ex iis cõſtat videatur ſibi aliquod adſciuiſſe concrementum, mellis nonnihil mediocriter cocti, & deſpumati, necnon aliquam comminutorum portionem, ac denuò mellis quippiam addere conuenit: deinde liquefacta tepida iam, miſcere, & omnia viriliter in magno mortario terere grandi cochleari ſuperiectis quæ redundant aridis, inſuper & melle: & quando à cochleari in vnitatem fuerint redacta, omnia è mortario coniicere in pilam expedit: tum & ferreis vectibus diligenter repurgatis, ne quid hæreat rubiginis, continuò tundere, illitis ſucco balſami vectibus: ſiquidẽ theriaci medicamenti lentore imbuti hærent, vt ne facile quidem à tundentibus eruãtur,

vt ergo haud ægrè negotium expediatur, extremas vectis partes, ſucco balſami delinire oportet, iugiter ad hoc ipſum opus, quicquid erit ſucci huius impendentem. Cæterùm in ſole tundere meliùs: ſic enim omnia faciliùs in vnum coaleſcunt. & cum id obimus negotium, pilam, quę medicamentum in ſe continet, ſubtegere oportet: & exactis quatuor aut quinque diebus, in ſole tundere: nec ſecùs ex interuallis idem opus repetere, & rurſum ſex aut ſeptem diebus ad duos vſque menſes, aut quadraginta prorſus dies obire. & hæc quidem hactenus, quæ ad optimam componendi medicaminis rationem pertinent, ſcriptis mandata ſint. Vt autem nigreſcat (haud enim noui qualiter id vſurpatum fuerit, vt qui colorem hunc non aſſequatur, riſui ſit:) obſeruādum quidem nobis eſt: ſed noſcendum, nihil virium medicamento à colore † adiungi. Verùm coloris huius fruſtratio ob chalcitim crematam accidit, quæ vel flaua, vel fulua redditur: & ſi minima portio eius iniiciatur, colore tamen eminet. Itaque nequis in hac re videatur hallucinari, aut errorem committere, iis mentem adhibeat, quæ mox ſum dicturus: drachmas certè quatuor chalcitidis, antidotum recipit. ſed hāc multò copioſiorem inaſſare conuenit, hac ratione: Drachmas crudæ chalcitidis non pauciores quadraginta, in ollulam indito: deinde candentibus carbonibus, ollulam non operculatā impone: ac quando

† ὑπαλλάττεσθαι mutari.

do profuſum fuerit medicamentũ, vel euehi conſpexeris leuius ac ſpumoſius, confeſtim detrahere conuenit, & humi deponere, & non quemadmodum conſueuimus interdum, ſimiliter ſuccẽdentibus ignem, auram illi afflari (mirum eſt enim quàm fuluus color, vel flauus hinc excellat) ſed ne inſolari quidem oportet: verùm refrigerati, quod ſpumoſiſsimum ſuperuehitur, nihil habens in ſe flaui vel fului, neque luthei, capere deinde, experimenti gratia, paululum ex hoc capiẽtes, & terentes, intueri, num quis colorum poſt leuigationem appareat: ſi verò quali fuerat adſumptum, vel porraceo, vel ſpumeo colore cernetur, ex eo quaternas adiicere drachmas. pauxillũ enim hoc in tanta vſti copia comperies. Verùm quæ neceſſaria putauimus ad antidoti & compoſitionẽ & apparatũ, omnia iam nobis dicta ſunt.

Scyllinos panes hac ratione factitamus: Scyllam nouellam non perquàm magnã oportet oblinire, vt nonnulli luto (ſordidum enim mihi & ſpurcum videtur) ſed ſubactam polline (inaſſatur enim facilè tenerrimꝰ hic pollẽ) vt & in peraſſatu nonnihil virium huius participet: cùm inaſſetur facilè in furno, vel cacabis aut clibanis, quibus panes coquuntur. Inter aſſandum, mentẽ adhibere oportet, vt æqualis aſſatura fiat: dein ſumptas alternatim eius tenerrimas partes, diligenter terere: & adiectis erui farinæ quàm optimæ & recentiſſimæ, portionibus æquis, in polentam

lẽtã ea omnia redigere, & in paſtillos mediocres
cogere: qui in vmbra repoſiti, ad vſũ aſſeruẽtur.

Theriaci paſtilli hac ratione cõficiuntur: vi-
peræ pro modo & quantitate totius cõpoſitio-
nis aſſumuntur, nõ omni quidẽ tempore, verùm
maximè ineunte vere, venatu captæ, quoties iam
relictis latebris, euocatæ foràs, poſteà in ſubdia-
les[illegible]nitas præſerpunt: hoc modo venenum non
vſque adeò noxiũ poſſident. ſint ferę magnope-
rè mobiles, ſubflauę, & ceruicẽ maximè protẽdẽ
tes, oculis rutilis & trucibus, impudenti ferocita
te cernentibus, capitulis latioribus, corpore toto
& ventre ſinuoſiore, meatu proximè ſummã cau
dam inſidente, cauda non circumuoluta, quieto
innitentes ſerptu. A maſculo fœmina his rebus
diſſidet, & quòd dentes caninos plures duobus
exerit. Cæterũ vbi eos opportunè ceperis, priùs
capita oportet & caudas abſcindere in tantũ vt
abſciſsionis menſura quatuor digitorum fuerit.
Verùm inter abſcindẽdum partes intueri decet
ſummoperè, an ſtatim ab amputatu exangues,
immobiles, & prorſus emortuæ feræ videantur:
ſi enim tales inueniantur, ad medicamenti miſtu
ram inutiles eſſe putantur. quòd ſi truncatis par
tibus, videas quendã in ipſis relictum adhuc mo
tum, & ſanguinis vim ſeruare aliquantiſper po-
tuiſſe, quàm optimas eſſe vt compoſitioni anti-
doti miſceantur, putabis. ad hęc totã exuere pel-
lem oportet, & adipem, vtpote inutilem, & in-
teranea

teranea omnia detrahere: postremò in fictile vel lebetem,† pulchrè incensis carbonibus insidentem, ne in coctura suum exhalent nidorem, coniiciantur: & in fontana decoquantur aqua: sal recens, & anethi sicci, scoparum ramuli, eâdē mēsura coniiciantur. cum autem carnes fuerint bene concoctæ (modus esto coctionis, quando spinæ à viperarum carnibus fuerint separatæ) tum deposito ab igni lebete, spinas exactè secernito, ne qua te lateat carnibus inhærens: ita repurgatas tritásque carnes, quàm purissimo pani mūdissima similagine coacto, commoderate misceto, & quemadmodum præcipit Andromachus, in panificia digerito. Magnus autem Damocrates, pares carniū & panis portiones misceri voluit. sic eas cum pane detritas, affuso iure decocti, quantum satis est, in mediocres pastillos conglomerato, & pauxillū adhibens lachrymæ balsami in mistura, & in vmbra reponens, ad totius medicamenti concinnationem seruato. Habes theriaci antidoti componendi rationem, exacte tibi expositam. Porrò tibi hinc exploranti, licet scire, vti reliqua è variis speciebus antidota formāda sint: deinceps de cæteris differemus antidotis, quæ veterib. ac neotericis plerisq; tum Græcis tū Barbaris cōdita sunt: nō tamē omnia exponemus (quippe in immodicam longitudinem liber succresceret) sed quæ mihi celebriora videbuntur, vtilioráq;, & plures ad vsus accommo-

† Exēpl. Grę. post vocē λέβητα sic habet καὶ λελογχευμένην καὶ τοῖς ἄνθραξιν ἀνακεκαυμένοις ἐπικείμενον, sed legend. videtur γεγενημένον vt sit sensus in lebetē pulchrè fabricatū. Gal. scribit in ollā nouā esse coniiciendā

modatiora, proponentur:tum quæ in pauciores vſus veniũt:ſed melius,quibus remedia pollicentur,vitiis opitulãtur. Quorum enim magnus erupit vſus,multa frõte promittunt, & vires ſuas ad multa impertiũtur. ob id haud par eſſet, eodem modo in omnibus aduerſis valetudinibus eas efficere.

Centenarium Antidotum Græcis, quod centenis conſtet ſpeciebus, hecatontaides adpellatũ:quod Galenus Cæſari ſe dicaſſe condidiſſéq; aduerſus omnia, & peculiariter letalia venena, teſtatur,eſt alioqui vtile medicamẽtũ,& advarios vſus accõmodatũ,ac ſecũdas à theriace obtinet. Abrotani drachmæ tres,cũ dimidia:amomi drachmæ ſex,ariſtolochiæ drachmæ octo,acatię drachmę quatuor,croci ſiciliquus aſari drachmę quatuor,baccarũ iuniperi ſemiuncia,aniſi drachmæ tres, agarici drachmæ decem, fructus balſami drachmæ tres,bdelii drachmæ tres, florũ ſylueſtris punicæ ſiciliquus, gentianæ ſemiuncia: ſucci radicis dulcis,drachmę quatuor:ſeminis rape,drachmæ octo:cretæ ſamiæ drachma vna,ſeminis dauci ſemiuncia,radicis dracunculi drachmæ tres & dimidiata, ſeminis irionis vncia, iris ſiciliquus,myrrhæ drachmæ ſeptem, zingiberis drachmæ ſeptem,eringii drachmæ quatuor, ſeminis thlaſpis vncia, conizæ tenuis drachmæ ſex.cyperi drachmæ ſex,baccarum cedri drachmæ ſex,acori ſiciliquus:cicutæ corticibus caſtra-

tæ,

tæ, drachma vna: ammis ſemiuncia, ſeminis cni-
ci drachmæ ſeptem, cinamomi drachmæ ſex, co-
ſti drachmæ ſeptem, centaurii ſemiuncia, caſiæ
fiſtulæ drachmæ quinque, caſtorii drachmæ ſex,
calami odorati ſemiuncia, gũmis ſiciliquus, car-
damomi drachmæ quatuor, ſeminis roriſmarini
(quod cenchry dicitur) drachmæ tres: cyphei
drachmæ quatuor, galbani drachmæ ſex, roriſ-
marini ſemiuncia, ſaluiæ drachmæ quatuor, lon-
chitidis ſeminis drachmæ tres, ſeminis lini,
drachmæ tres, ſeminis fœniculi drachmæ ſex,
thuris drachmæ ſex, lachrymæ papaueris drach-
mæ decem, lemniæ rubricæ drachma vna, mala-
batri drachmæ octo, mæi drachmæ ſex: nardi ſy
riacæ, drachmæ ſex: anatum ſanguinis, drachmę
ſex: nardi celticæ, vncia: ligni balſami drachmæ
ſex, ſeminis hormini drachmæ octo, lachrymæ
balſami (quam opobalſamon vocant) ſemiuncia,
cãdidi erui vncia, radicis panacis drachmæ tres,
lachrymæ panacis (quam vocant opopanacem)
ſemiuncia: ſecuridacæ drachmæ ſex, herbæ ſan-
guinalis drachmæ nouem, polii drachmæ quin-
que, inulæ drach. quinq;, quinquefolii drach. o-
cto, petroſelini ſemiuncia, lachrymæ peucedani
vncia, piperis nigri drachmæ quinque, piperis
candidi drachmæ quatuor, piperis longi drach-
ma, ſcinci drachmæ quinq;, terebinthinæ drach
mæ quinque, roſarum vncia, ſagapeni drachmæ
ſex, ſtœchados drachmæ. iiii. pineæ nucis torre-

 factæ,

factæ, drachmæ ſex: iunci odorati ſemiuncia, car
nium vuarum paſſarum drachmę quatuor, ſeſe-
lis drachmę quinque, ſeminis paſtinacæ ſemiun-
cia, fellis taurini drachmæ quinque, aiugæ drach
mæ quinque, pſyllii, drachmę quatuor, ſcordii ſeſ
quidrachma: hali (quam vocant ſymphytum) ra
dicis, ſiciliquus: herbæ pedicularis (quam vocant
ſtaphida agriam) drachmæ quinque: fructus tri-
folii, drachmæ quinque: ſtyracis drachmæ quin-
que, ſeminis tordillii ſiciliquus, teucrii drachma
vna, ſucci hypocyſtidis ſiciliqu⁹: alterci ſeu apol
linaris herbæ, ſiciliquus: radicis cotylidonis ſe-
ſquidrachma: mellis, quantum fuerit ſatis.

Eſdræ Antidotum contra venenatorũ ictus fabæ magnitudine ex vino datur: demorſusque locus eunti dormitum delinitur, & periculo vacabit. aduerſus adſumpta venena, ante & ſecundum vomitionem exhibetur ponticæ nucis magnitudine, diluculo & in cubili ex vino: præſumptum autem, noxam deleterii veneni ſerpere nõ permittit. in capitis doloribus in ſapa reſolutum illinitur fronti, & datur ebibẽdum ſub noctem, appetente ſomno, phaſeli magnitudine, diſſolutum exiguâ aquâ, vel ſapâ: inſanis, dum ſomnus initur, fabæ tuberculo præbetur, ex diluta ſapa: eóque in ſapa ſoluto, frons & media ſuperciliorum interſtitia, & nares totæ foris perlinuntur in cubili. ſiquidem ſomnum accerſit. non ſecùs & in diuturnis oculorum defluxionibus, ſa-

pa resolutum, fronti ad supercilia vsque sublinitur. ad erumpentes† malarum feruores, & dentium dolores, sapâ dilutum, calfactumque praebetur ore continendum: statimque dolorem leuabit. contra longam tussim, & spirandi difficultatem, põticae nucis crassamẽto datur, in sapa quae aquâ sit diluta. si verò febris adsit, ex aqua mulsa, diebus septem, in cubili. cruenta excreãtibus, interno laborantibus abscessu, & tabidis, fabae magnitudine, cũ exigua sapa, aquae frigidae pauxillo diluta, diebus complusculis mane & vesperi propinatur. longis stomachi doloribus cũ perfrictione, magnitudine fabae cũ sapa praebetur: si febrim experiantur, ex aqua mulsa: singultui ob plenitudinem erumpenti inter frigora, fabae crassitudine exhibetur, ex condito: contra duritias, ex aqua mulsa: & lieni laboranti, & aceto, aut aceto mulso: sed tumẽtes partes, antidoto collinantur, calculosis cum sapa praebetur: vrinae difficultati, cum apii vel petroselini, aut alterius cõsimilis decocto.† in alui profluuio, coeliacis affectibus, dysenteriis, ponticae nucis magnitudine, cum aqua mulsa: sed eo sapa resoluto, vitiatae partes linuntur. Ischiadicis, aut quibus ruens defluxio articulos impleuit, ex melle, vel aliquo vnguento, vt glaucino, vel irino, vel sicyonio illinitur. Elephantia correptis, auellanae nucis magnitudine, cum mulsa, bis die datur: eoq; in vino resoluto, totum in sole corpus nouem

†μύλλω βεβρεχμένῳ, sed vide nũ legẽdum sit μύλλω βεβρεγμένῳ.

† πρὸς δὲ ῥόους:

dies oblinitur. quippe porrigines & cuticulares squammulæ decidunt & assimulantis facultatis habitudo renouatur. Fœminis, quæ partum ægrè enituntur, imus vēter sublinitur, et facile fœtum edunt. Aduersum vlcera maligna (cacoëtha vocāt) & inueterata, in superficie ac summatim erumpentia, lintheis inductum imponitur, aut auriculario clystere, aut fistula inditur, vt sanitati reddantur. Recipit antidotum, mameræ vnciam, amomi sextantem, iunci odorati semiūciā, pyrethri duellam, croci vnciam, myrrhæ sextulas tres, styracis semiunciam & scrupulos duos, petroselini sextulam, tragacanthæ vnciam, hypocystidis succi sextulas tres: iris semiunciam, scrupulos duos: seminis fœniculi vnciam, folii quadrantem: radicis ponticæ, rosarum siccarum, dulcis radicis, florum syluestris punicæ, cinamomi, singulorum quadrantem: nardi celticæ drachmam, aquę cœlestis sextulas duodecim: tundito crassiusculе, & in duplici vase vnguentario postridie coquito ad tertias, & humorem in alterum vas exprimito: expressi iuris huius, quantū ad diluenda ea quæ subscribentur, sufficere videbitur, misceto. gummis, tragacanthę, singulorum drachmas sex: myrrhę, dulcis radicis, succi hypocystidis, singulorum siciliquum: croci, mastiches, singulorū drachmam, operose terito, paulatim expressi humoris nonnihil adiiciens. vtere cum vino scybelite aut thereo, aut premnio. esto modus instar

inſtar ſextariorum viginti quatuor. & vbi paſſo cõmiſcueris, in vaſe coquito: cumq́ue mellis habuerit craſſitudinem, trita reſolutáque adiicito, rurſúmque dum ſibi concrementum adſciuerit, coquito: & in vitreo vaſe recondito: cùm res poſtulabit, vt anteà dictum eſt, vtitor.

Antidotum Aſyncritum, id eſt, incomparabile, contra quartanas: veteres capitis dolores mitigat: vertiginoſos adfectus & inſultus morbi comitialis mulcet: peruigilia ſedat: inſaniam placat: magnum oculorum dolorem finit: defluxionem, dentium cruciatus, ſpirãdi difficultatem, & omnem ſuſpirii cauſſam diſcutit: tuſſi diuturnæ, pulmonarię, & laterali medetur inflammationi: humorem omnem ab officina pulmonum elidit: tenuia ſputa denſat, excretúque faciliora reddidit, ex hydromelite potum. ſi ſanguis ſputo reddatur, ex aceto mulſo, vel poſca, vel ſanguinalis herbę vel plantaginis ſucco, ſiciliqui pondere: ſed pro laborantis viribus paululum quid vel adiicito, vel detrahito. ſtomacho pręſenti eſt auxilio: huius ſiquidem humidam laxitatem adſtringit, cibi faſtidia leuat, ſingultum tollit, non retentos ob impetum vomitionum cibos ſiſtit, & omnẽ ſtomachi & ventris inflationem in ructus ſoluit: vellicantes iocineris dolores permulcet. contra regium morbum efficax habetur: quippe quod in priorem naturam vnamquanque partem reuocet, erumnoſę cogitabundęque inſanię, quã

atra bilis creauit (melancholiam vocant) tumultus leuat: lienis grauitatem submouet: faciei colorem reddit: pituitam, bilémque per intestina deiicit: distributionis meatus aperit, vrinas ciet, & ad renes impellit: sic vt ad vesicam arenulas & sabulosa deturbet. grumis à renibus & vesica coëuntibus medetur: vrinæ difficultatem reprimit: ileosis & colicis cruciatibus, potu succurrit efficaciter: vetus alui recrementum subducit: inflammationem temporis curriculo discutit: tormina mitigat, & distentionem conceptaculorũ resoluit. cùm verò non potest ore sumi, cum fœnigræci succo subter in ventrem datur, & à doloribus vindicat. maximè verò vteri calamitatibus opitulatur. nam enitentium puerperarumq; dolores permulcet: molestiam peruigiliorum, elationem vuluæ & distentionem mollit: † morbosam purgationẽ ad recreationẽ perducit: meatuum spiracula laxat: erumpentes vtero sanguinis profusiones, si solum detur, supprimit: quinetiam si ex vino calido infundatur, sistit easdem: delitescentibus renum collectionibus: potu succurrit: in podagris quoque & articulariis dolori bus eo vtendum. hoc verò laborantibus auxiliari, experiẽtiâ compertum est: maximè autem & in morborum accessionibus, vires huius medicamenti licet intueri ac deprehendere: siquidẽ non in os modò datum, sed & resolutis quoque membris illitũ, efficax est. prodest etiã iis, qui in alea

† νοσώδη κάθαρσιν εἰς ἀνάληψιν ἄγει. i. efficit vt recreemus nos à morbosa purgatione.

vitæ

vitæ constituti periclitantur. Ratio componendi hæc est: Myrrhæ scrupuli decem & septem: lachrymæ papaueris, scrupuli xviii. amomi, scrupuli sex: petroselini, scrupuli quindecim: seminis apii, scrupuli duodecim: iunci odorati, scrupuli nouem: casiæ Aegyptiæ, scrupuli quatuor: piperis candidi, scrupuli quatuor: atri piperis, scrupuli quindecim: sinapis syriacæ, scrupuli duodecim: styracis, scrupuli sex: seselis, scrupuli quatuor: hedychroi magmatis, id est, spissamenti, scrupuli quinq;: mellis despumati, quantum erit satis. modus est, drachma: Styracem melle diductum vsurpa, & arida resperge: lachrymam papaueris macera dulci sapa, donec mellis habuerit crassitiem.

Antidotum aureum Alexandri, contra defluxiones capitis frigore conceptas efficax: oculorũ lachrymas exiccat: dentium dolores lenit: aduersus capitis cruciatũ summoperè prodest, illitum fronti: Comitiales, insanos, vertiginosos, & in vniuersum omnem capitis noxam mulcet: tabidis, tussiculosis, humorem à pectore reiicientibus, cardiacis, sanguinem excreantibus, præsenti est auxilio, datum vt ischiadicis, coli & renum cruciatibus: aduersus iliorum noxam, difficultatem vrinæ, & eiusdem stillicidium valet: calculos cõminuit: omni ventris adfectu liberat: quotidianis & tertianis febribus circa accessionis initium, sufferuefacto stœchadis iusculo, eximiè

medetur: Asari, fructus balsami, apollinaris herbæ, singulorũ duella, scrupuli duo: garyophylli, lachrymæ papaueris, baccularũ myrti, cyperi, singulorum duella: balsami, cinamomi, folii, zudatis, zingiberis, costi, corallii, ligni casiæ, euphorbii, citheris (id est, tragacanthæ) thuris, styracis, mei, cardamomi, sesellis, saxifragi, apii, nardi celticæ, anisi, singulorum sextula: xiloaloës, rhei, castorii, nardi, galangæ, lachrymæ panacis, anacardii, mastiches, sulphuris, peoniæ, eringi, thymi, acori, halicacabi, aristolochiæ longæ, gentianæ, corticis mandragoræ, trisaginis, phu, baccarum lauri, ammis, luphiæ compositæ (siue, quod idem est, aliptæ) dauci, piperis longi, ligni balsami, seminis petroselini, seminis libystici, ruthæ, hyssopi, succini, amomi, singulorum dimidium sextulæ, id est, scrupuli duo: auri, argenti, vnionum (quos margaritas vocant) blattii (seu onychis) ossis ceruini cordis, singulorum duella, scrupuli duo: eboris, calami odorati, pyrethri, singulorũ drachmæ sex.

Antidotum Diacomerôn à Latinis nominatum, efficaciter prodest difficulter spirantibus, arteriacis, tussientibus tabidis, & omni pectoris & stomachi offensæ, aquæ subter cutem fusæ, renum doloribus: voluptatem parit: corpora saginat. cinamomi, garyophylli, spicæ, zingiberis, zeduaris, costi, pyrethri, rhei, nardi celticæ, singulorum vncia: anacardii, piperis atri & candidi & lõ

gi

gi, cardamomi, anisi, singulorum semiuncia: eboris, ossium palmularũ, ossis cordis ceruini, coralli, singulorum sesquisextula: moschi, balsami, singulorum sextulæ dimidium: rosacei mellis (quod rodomeli nominant) quantum satis esse videbitur.

Antidotum Diacuminôn, arteriacis, difficultati spirãdi, tussiculosis, inflationibus efficaci est adiumẽto: noxam stomachi corrigit: coctionem adfert: astrictionum vitia sanat. Cumini sextulæ quinquaginta: cinamomi, spicæ, zingiberis, piperis nigri, fructus balsami, singulorum sextulę decem: iris, cyperi, cardamomi, ruthæ, libystici, singulorum sextulæ quinque: mellis quantum sufficiet.

Antidotum Diacitrinôn, id est, è citrinis, contra stomachi noxam efficax: nauseam leuat, & coctionem pręstat. Recipit corticũ malorũ citrorum, drachmas centũ quinquaginta: stillaticii rosarum liquoris, drachmas quadraginta: cinamomi, garyophylli, zingiberis, piperis nigri, singugulorum drachmas viginti: galangæ, spicæ, pyrethri, anisi, singulorum drachmas decem: mellis quantum ad ea excipienda satis est. Cortices citrinorum in liquore, quem stillantes rosæ reddiderunt, molli igne feruescant dum ad tertias redigantur: deinde adiecto sufficienti melle coquãtur, donec mellis crassitudinem referant: depositóque ab igni aheno, tusæ & cretę species, in vas demit-

demittantur. Vtendũ ante & post prandium.

Antidotum Dialachan, facit aduersum frigus stomachi: obstruentes infarctus, inflationes, iocineris & renis duritias sanat: aquæ inter cutẽ causas omnes discutit: menses ciet: ventosos spiritus ab alto corporis abigit. Lachæ drachmæ quindecĩ: cinamomi, rhei, costi, ligni casiæ, aristolochiæ longæ, aristolochię rotũdę, fructus balsami, singulorũ drachmę nouẽ: garyophyllorũ, moschi, cari (id est, nucis moschatæ) carpesii, eupatorii, gẽtianæ, polii, anisi, singulorũ drachmæ quatuor: mellis quantũ satis erit. Modus potionis est, sesquidrachma, cũ feruefactarũ radicum iure.

Antidotum Diamelôn, id est, è malis, cõtra diuersas stomachi distemperaturas valet: appetentiam excitat: concoctionẽ efficit: nauseam sedat: & ex lõga morbi imbecillitate sese recolligẽtes ad pristinum robur, mirum in modũ restituit, & viuidum efficit colorem. Habet malorum dulcium drachmas centum quinquaginta: liquoris rosarum stillaticii drachmas trecentas, sacharis drachmas centũ: santali albi & rubri, succi dulcis radicis, rosarũ, singulorũ drachmas nouem: cardamomi, galãgę, moschatę nucis, spicę, zudaris, singulorum drachmam, seminis basilici, sesquiscrupulum. Mala intus & extra purgata tundito, & lento igni in stillatitio rosarum liquore ad tertias coquito, posteà mellis despumati, sufficientem modum adiicito: & tandem feruefacito,

to dum ſibi mellis conſiſtentiã adſciuerit: ſubla-toque ab igni aheno, in pilam marmoreã mitti-to: & cum ſachare tritas & cretas ſpecies ſubigi-to: & cum rectè fuerint ſubactæ, in vaſe recondi-to. Modus, drachmæ tres, manè & veſperi.

Antidotum Diarhodôn, id eſt, è roſis, pollet aduerſus ſtomachi calorem, iocineris, lienis, pul-monum: contra viſcerum dolores, & noxam om nem totius corporis à calore procedentem. San tali albi & rubri ſingulorum drachmæ duæ, ſeſ-quiſcrupulus: tragacanthæ, gummis, ſpodii, ſin-gulorum ſiciliquus: aſari, maſtiches, ſpicæ, car-damomi, croci, agalochi, garyophyllorum, ſoue, id eſt, galliæ muſcatæ, aniſi, fœniculi, cinamo-mi, ſucci dulcis radicis, rhei, ſeminis baſilici, bac carum oxyacanthæ, intubi ſatiui, ſeminis por-tulacæ, ſeminis cucumerum, ſingulorum drach-ma: vnionum, oſſis ceruini cordis, ſingulorum ſeſquiſcrupulus: ſacharis, roſarum, ſingulorum ſeſcuncia: caphuræ, grana tria: moſchi, grana qua tuor: zulapii roſarum quantum ſufficiet, vt vnà fermenteſcant.

Dianthon, id eſt, è floribus Antidotum, pro-deſt præter rationem tribulatis, cardiacis, animi lætitiam auget: eos roborat, qui à longo morbo debiles adhuc, ſeſe recolligunt: ſtomachum per-pulchrè corrigit. Florum roriſmarini coronarii (quod dendrolibanon appellant) ſing. drachmæ quadraginta: roſarum, violarũ, dulcis radicis, ſin gulo-

gulorum drachmæ sex:garyophyllorum, spicæ, nucis vnguentarię (quam myristicam nominãt) galangæ, cinamomi, zingiberis, zeduaris, xylaloës, cardamomi, anisi, anethi seminis, singulorum drachmæ quatuor: mellis Attici libræ duæ cum semisse.

Diasatyrion, id est, è satyriis Antidotum, pollet contra vesicæ & renum imbecillitatem: iis etiam auxilio est, qui vrinam reddere nequeunt: venerem mirum in modũ stimulat, eámque certa de caussa cessantẽ haud segniter restituit. Cõstat testium satyrii viridis, dauci satiui, dauci syluestris, nucis indicę, pistatiorum, nucis pineę repurgatæ, singulorum drachmis duodecim: zingiberis, garyophyllorum, seminis anisi, erucæ singulorum drachmis quinque: cinamomi, scinci, bulbi seminis, singulorum siciliquo, sesquiscrupulo: moschi, siciliquis septẽ: mellis sesquilibra. Radices satyrii, dauci tam satiui quàm agrestis, priuatim & seorsum tunduntur: collectæque in vnum, molliusculo igni paululum feruescũt. rursum pistacia & pineæ nuces tusæ & adiectæ rigantur, dum aliquam crassitudinem cõceperint: deinde sublato ab igni vase, tusæ & cribratę species, adduntur: postremò moschus cum exiguo liquore, quem stillantes rosæ remiserunt, inseritur. Modus, cochleare est, ex vino dulci.

Diapenidion Antidotũ, valet aduersus omnẽ pectoris noxam: tussi à frigore contractæ, vocis

iacturæ, tabidis, purulenta execrantibus, diluculo & vesperi cum cremore ptisanæ calido. Penidiorum drachmæ sedecim: nucis pineæ, amygdalorum, seminis portulacæ, capitis papaueris albi, singulorum drachmæ tres cum sesquiscrupulo: cinamomi, garyophyllorum, zingiberis, succi dulcis radicis, tragacanthæ, mellis quantum sit satis.

Diaprassiu, id est, è marrubio antidotum, prodest tussiculosis & pituitosioribus noxis. Hyssopi libra: iris, dulcis radicis, nepetæ, saluiæ seminum cotoneorum, nucis tedæ, singulorum selibra: scyllæ triens, pulegii quadrans: inulæ, marrubii, singulorum triens: fœnigræci vncia, ficorum passarum pinguium libra: mellis quantum tibi faciet satis.

Diorobon, id est, ex eruis antidotũ, tussi subuenit, & pectus repurgat. Styracis, terebinthinæ, thuris, radicis dulcis, croci, anisi, iris, amygdalorum amarorum, erui, nucis pineæ, hyssopi, singulorũ quadrans: piperis, tragacanthæ, singulorum vncia: mellis quantũ videbitur sufficere.

Illinctus compositio. Capit croci vnciam, tragacanthæ pondo quadrantem, hyssopi pondo sextantem, dulcis radicis sextantem † cornorum & amygdalorum, singulorum librã: mellis, quãtum satis fuerit.

† κοκκάρια. i. strobilos nucis pineę

Dianacardon, id est, ex anacardis antidotum: proficit vertiginosis, comitialibus, difficulter spirantibus,

rantibus, ileosísq;: menses pellit, incipientem aquam inter cutem, aut malum corporis habitũ abigit. integer modus siciliquus est, cum perquã diluto melle. Qui autem antidoto scãmonii siliquas sex inserunt, citra molestiam flauam bilem deiiciunt. Si verò epithymi siliquas viginti coniunxeris, atram bilem innoxiè subducet. Si verò colocyntidis pondus idem cum scammonii pondere immiscueris, pituitam purgabis. R. Anacardiorum quadrans: croci, casiæ folii, spicę nardi, mæi, agarici, iunci odorati, rhei, singulorum sescuncia: aloës pondo sextans, garyophyllorũ vncia: epithymi, acori, piperis, saxifragæ, mastiches, iris, myrobalani, singulorum quadrãs: mellis, quantum erit satis.

Diamoscu, id est, è musco Antidotum, pollet contra omnem malum corporis habitum, & iocinoris affectus: prodest lienosis, stomachicis, id est, quorum venter cibi non est tenax: habitum eximiè ad alimoniam roborat: corpus reddit vegetius, vernaculum excitans calorẽ. Sampsuchi, corimborũ, thymi, aloæ, iunci odorati, ligni balsami, sagapeni, asari, garyophyllorum, casiæ, costi, radicis ponticæ (rheum vocant) zingiberis, pulegii, cinamomi, libystici: seminis apii, petroselini, dauci, mosci, singulorum vncia vna: mellis quantum ad ea excipienda: satis sit.

Diacalaminthes, auxiliatur iis quos cibi fastidium vrget, appetentiam reuocans: ægrè quo-

que

que ſpirantibus, ſtomacho perfrictionẽ ſentiẽ-ti,& ſpiritu diſtento confert ex vino manè: ſi verò reſpuant ſiccum, nucis auellanæ craſſamento eſtur cum vino. Piperis vnciæ ſex: calaminthæ, pulegii, petroſelini, ſingulorum ſeſcuncia, ſeminis apii vncia, libyſtici triens, ſeſelis vncia, thymi ſemiuncia, mel ſufficiens.

Dioſpoliticum valet aduerſum tardas concoctiones, & cõcepta corporis & ſtomachi frigora: Piperis, cumini, zingiberis, ruthæ, nitri, ſingulorum libra vna: mellis libræ quadraginta, ſi perquàm humidum placet eſſe: ſin minus, quantum ſufficit. Cuminum pridiè quàm medicamentum condatur, acerrimo aceto debet macerari: tempore verò quo conficitur in fictilibus igni candentibus torreſcat, deinde teratur.

Antidotum ex hermodactylis, conferens podagricis, articulariis doloribus: expurgat humores crudos, qui ad profunda artuũ decubuerunt. Hermodactyli, galangæ, pyrethri, zingiberis, aniſi, gentianæ, ariſtolochiæ, ſing. quadrans: mellis modus, qui tibi ſatisfecerit.

Aegyptium Antidotum, omnib. vitiis occurrit. Nam auxiliatur capitis dolorib. etiã qui mediã obſidẽt caluariã: vertiginoſis, comitialib. I veternoſis, melãcholicis, ſanguinẽ surſũ reiiciẽtib. pulmonariis, laterum doloribus, tabidis, tuſsientibus, ſanguinẽ excreantibus, orthopnoicis, cardiacis, ſtomachicis, iocineroſis, lienoſis, regio

gio morbo, renum inflammationibus, & lumbagine laborantibus, quartanis, neruorum resolutioni, ischiadicis, podagricis, articulorum doloribus: obsessos calculo vrinæ meatus expedit: callos, qui articulos insederunt, & condilomata discutit, & omnia per vrinam excernit: consequenter & visum & reliquos sensus renouat: memoriam refricat. Continet trisaginis, hyperici, singulorum dodrantem: centaurii tenuis: vncias octo: aristolochiæ longæ septuncem: gentianæ vncias sex: ammi quincuncem, mæi trientem, petroselini quadrantem, phu sextantem, agarici vnciam (nonnulli & nardi celticæ sextantem adiiciunt) radicis ponticæ pondo drachmas tres: mellis quantum esse satis fuerit visum. modus exhibitionis est, maiori ex parte, drachma: primo tempore ter in mense, posteà bis assumitur, & morbo liberat.

Antidotum Mithridatis, athanasia dictũ, aduersus letifera venena & animantium ictus, quæ virus eiaculantur, efficax: stomachicis, & quibus in ventriculo cibus coacescit, sanguinem excreantibus, tussi longa conflictatis, iocinorosis, lienosis, vteri & vesicæ affectib. Piperis cãdidi grana quadraginta: mæi, asari, acori, dauci, petroselini, nardi indicæ, negyritæ calculi, sing. semiuncia: costi, myrrhæ, sing. vncia: cinamomi, casiæ, sin. drachmæ duodecim: mellis quantum erit satis. in quibusdam agaricum & scordiũ addũtur.

Diascin

Diaſcincu, id eſt, è ſcinco, Antidotum Mithri datis Eupatoris: valet contra exitialia venena, & aduerſum omnem letiferam materiam, & ictus omnium virus eructantium: inteſtinis affectibus efficax: conceptum adiuuat: menſes ciet: emortuos partus excutit: hærentes ſecundas reſoluit: febres, circuitu repetẽtes, diſcutit: membris captos, tremulóſque firmat: iis quibus rigens ceruix ſcapulis adhæret (opiſthotonicos appellãt) iſchiadicis & podagricis auxiliatur: item vitiis omnibus, quæ ex neruorum ſympathia, id eſt, mutua affectione oriuntur. Ratio concinnandi ita ſe habet: Scinci, ſagapeni, acori, coſti, hyperici, acaciæ, iris, mæi, gummis, ſingulorum ſiciliquus: roſarum, gentianæ, cardamomi, ſingulorum ſemiuncia: ſeminis papaueris, oboli duo: ſtyracis, drachmæ quinq;, ſeſquiſcrupulus: polii, caſię, ſeſelis, bdellii, balſami, piperis candidi, ſingulorum drachmæ quinque & oboli duo: hypocyſtidis ſucci, lachrymæ panacis, myrrhæ, thuris, caſtorii, piperis longi, cyphis, reſinæ, terebinthinæ, ſingulorum drachmæ ſex: nardi ſyriacæ, opobalſami, thlaſpis, ſeminis dauci, ſingulorum drachmæ ſex, & oboli tres: croci, cinamomi, zingiberis, ſingulorum drachmæ ſeptem, oboli duo: dulcis radicis ſucci, agarici, drachmæ ſeptem, oboli tres: mellis, quantum ad ea excipienda ſufficiet: & vini boni, quantum ad lachrymas reluendas ſatis fuerit. nos (inquit Galenus)

ad incrementum medicamenti, gratià suppressorum & hærentium mensium & cõceptus causa, vt prægnantes citra periculum ferant, adiecimus dictamni semiunciam: ammoniaci, seminis ruthæ, singulorum drachmas tres: cumini æthiopici, drachmas sex: trifolii, seminis napi syluestris, singulorum semiunciam, trisaginis tantundem: radicis ponticæ drachmas tres, lachrymæ cyrenaicæ siciliquum. iis adiunctis, vis medicamenti ad permulta redditur vtilis. quippe quòd quadrimestres necaret partus, & trimestres depelleret.

Diacarcinon, id est, è cancris Antidotum, valet contra morsus rabidorum. Cineris fluuiatilium cancrorum crematorum, siciliquus: radicis gentianæ drachma: ea trita, bis, ter aut sæpius ex vino albo dantur. iis verò qui iam horrent aquam, frequentius exhibere conuenit. vt autem bibant, suppone poculo lacerum pannum sub sedem, & bibent. Gentiana per se instar cochlearium trium ex aqua efficax est, diebus quadraginta vel sexaginta: diebus septem cum hienæ pelle, amuleti loco gestatur. aut alyssi herbæ cochleare ex aqua vel hydromelite præbeto. Alyssum herba marrubio similis est, asperior tantum, spinosioribus pilulis, flore cæruleo: hanc legere oportet sub flagrante canis ęstu, & siccam tundere, in cerniculóq; cretam, ita recondere ne quid virium expiret. In vlceribus hoc v- Alyssum

tendum.

tendum. Picis brytiæ libram, opopanacis trientem, aceti ſextarium ſumito. Opopanacem aceto ſufficienti reſoluito, reliquum humorem cum pice coquito: cúmq; diſſoluta fuerit, opopanacem addito, & ſeruato ne efferueſcat: & cũ rectè habuerit, longa & grandia formans ſplenia, parti demorſæ ſuperponito. ſed vlcus quadraginta dies ſeruari oportet, ne obducatur cicatrice.

Aduerſus ſcorpiones, & animalia quæ morſum adigunt: Ariſtolochiæ, zingiberis, ſingulorum drachmas octo: calaminthæ, ſeminis ſylueſtris ruthæ, ſingulorum ternos obolos: piperis obolos duos: miſceto cum ſanguine teſtudinis, & cogito in paſtillos.

Antidotum ad omnem ſerpentis ictum efficax. hoc reuertens ex Arabia Gallus, Cæſari donauit: multos milites, qui ſub ipſo ſtipendium faciebant, à rabioſis canibus demorſos, necnon à ſcorpionibus, phalangiis, aliiſque ſerpentibus ictos, incolumes ſeruauit: ruptis, vulſis & inflationibus coli auxiliatur. Recipit erui moliti drachmas quinq; & viginti, radicis brionię drachmas ſedecim, ſeminis ruthæ ſylueſtris drachmas duodecim: fructus trifolii, iris, lachrymæ panacis, ariſtolochiæ longæ, lachrymæ papaueris, myrrhæ, ſingulorum drachmas octo: cumini, zingiberis, eryngii, lachrymę cyrenaicæ, croci, ſerpilli, coſti, ſagapeni, ſingulorum drach-

mas sex: ea vino subiguntur, & in pastillos digeruntur: qui pro viribus præbentur. integer modus triobolaris. Contra feras, quæ venenatos morsus imprimunt, ex vino diluto: in cæteris affectibus, ex mulso.

Epithema, quod à vipera ictis auxiliatur: Sagapeni, piperis, lachrymæ cyrenaicæ, lachrymæ panacis, singulorum pars vna: galbani, sulphuris ignem non experti, singulorum partes duæ. lachrymæ resoluuntur, & aridis tritísque adiiciũtur, donec id in emplastri crassitudinem lentescat. vulneri inducitur, & foris folia ficulnea vel vrticæ superponuntur.

Sopyrium, Antidotum aduersum omnia letifera venena: prodest iocinerosis, inflationibus alui, & incipientibus aquæ inter cutem offusionibus, & præsertim quibus spiritus assidet. Capit quidem zingiberis drachmas quinque, spicæ nardi drachmas quinq;, scrupulum: croci drachmas quatuor, & sesquiscrupulum: iunci odorati, siciliquum, sesquiscrupulum: casiæ drachmas quatuor: cinamomi, drachmas tres: piperis candidi, sesquidrachmam: thuris, costi, singulorum drachmam (in quibusdam & lachrymæ papaueris drachmas quatuor) mellis quantum sufficit.

Antidotum lysipemũ, podagricis & articulariis doloribus dandum: item fœminis ab vtero suffocatis: itidem renũ & coli cruciatibus aquæ inter

inter cutem fuſæ, ſtomachicis, regio morbo laborantibus, in omni cruditate malè habitis, malóq; humore imbutis, grauiter audiẽtibus, caligantibus oculis & hebetudine cæcutientibus, dentium & capitis doloribus, faſtidientibus cibum, exolutis, & ex longo morbo cibũ reſpuentibus, lienoſis, iocineroſis, ſpiritu diſtentis, coſtarũ doloribus, † lumbagini, dyſentericis, & omni laſſitudini. fiunt propinationes ad hunc modum: Vini albi libræ quadraginta octo: mellis libræ duæ & viginti. modus, drachmæ tres ieiuno. Species Antidoti hę ſunt: Seminis populi nigræ, piperis, ſingulorum vncia: petroſelini, libyſtici, mæi, ſpicæ nardi, ſingulorum ſemiuncia: erucæ, pulegii, fumariæ, ſaluiæ, folii, zingiberis, baccarum lauri, maſtiches, thymi, gummis, origani, † cuniculæ bubulæ, cumini, ſingulorũ vncia: mellis quantum ſatis eſſe videbitur. Datur ſextula, febrim non ſentientibus, ex vino albo diluto: febricitantibus, ex egelida aqua. bibitur ſeptem dierum curriculo: dein alternis, dum ad ſanitatem reducantur.

† ψοαλγικοῖς, ψόαι enĩ ſunt lũbi

† vox hęc eſt expoſitio vocis origani.

Hippocratis Antidotum, quo, peſtilenti contagione populatim graſſante Athenis, vſus, corona ab Athenienſibus eſt donatus: capitis dolorẽ, illitum fronti ex vino, ſedat: & ex oleo auricularium dolorem, fimbriæ aut flocco inditum: nec ſecus oris noxam, eo contentum. dandum autem eſt ex hydromelite, nucis auellanę magnitudine.

 tusſienti-

tussientibus, lienosis, iocinerosis, sanguinem reiicientibus, calculosis, laterum inflãmationibus, ægyptiæ fabę tuberculo, ex oxymelite mero, cyathis tribus ischiadicis & † interaneorum doloribus, lupini magnitudine in decocto pęoniæ: territis & à lemuribus occupatis, aut dęmonio obsessis, ab interlunio ad illunem vltimum diem, nucis põticę magnitudine, in lacte asinino: quartanis febribus ex oxymelite, desinente luna. Calami odorati, iunci odorati, herbæ sabinæ, singulorum triẽs: viticis seminis, cardamomi, cyperi, crocomagmatis, singulorum quincũx: nardi celticæ selibra, aspalathi septunx, pilularum cupressi quadrans, rosarum quadrans, ladani libra, myrrhę libra, thuris libra, baccę iuniperi paruæ quadraginta (hæc vnà tunduntur priuatim) nardi spicæ selibra, costi triens, folii bes, casiæ selibra, amomi quadrans (& hæc seorsum teruntur) mastiches triens (hoc priuatim item atteritur) styracis dextans (styrax paulatim adiicitur preciosis bellariis) terebĩthinæ libræ tres, mellis attici libræ quinq;: vini veteris, quantum sufficiet ad bellaria macerãda: cõficiuntur, purè & diligẽter melle excepta. Antidotũ colicũ, mirabile ileosis † & quibus alui recrementũ in ventosum spiritũ degenerat, in maximis doloribus. Piperis cãdidi, alterci, singulorum drachmæ quadraginta: lachrymæ papaueris drachmæ vigĩti, croci drachmæ decẽ: spicæ nardi, euphorbii, pyrethri, singulorum

† ἐντεροπονοῦσι, quibus intestina dolent.

† καὶ οἷς κόπρος ἀνεμοῦται & his qui stercus reuomunt, quod solet accidere in ileo morbo.

gulorũ drach. tres: melle cocto excipiuntur: medicamentũ ægyptii fabę magnitudine prębetur.

Alterum Colicum antidotum, etiam exterius admotum efficacem præstat effectũ. Costi, anisi singulorum drachmæ sex: seminis apii drachmæ duodecim, nardi drachmæ quatuordecim, castorii drachmæ tres, petroselini drachmæ quatuor, piperis albi & longi, singulorum drachmæ quinque, iũci odorati drachmæ tres, cinamomi drachma vna, lachrymæ papaueris drachmæ sex, croci drachmæ tres: excipiuntur melle cocto. modus est auellanæ crassitudo, ex aqua calida.

Antidotum aduersus frigidũ morbum: Thymi, dulcisradicis, tragacanthæ, pyrethri, cinamomi singulorum sescũcia: rhei semiuncia: myrrhę, styracis, garyophyllorum, piperis, indicæ nardi, sing. vncia, mel sufficiens.

Antidotum contra difficultatem vrinæ: dari debet etiam iis qui lotium non continent, & iis qui egrè vrinam reddunt, quique ex ilibus & renibus laborant. Seminis apii, eruginis rasæ, melanthii, erucæ, seminis galangæ, sinapis, herbę apollinaris, zygiæ siccæ, anisi, piperis albi, nardi indicæ, mellis quantum satis erit. Antidotũ sextulæ pondere datur manè & vesperi.

Pastillus Andromachi, contra renum & vesicæ abscessus. Seminis apii, seminis papaueris candidi, tragacanthæ, singulorum siciliquus: amyli semiuncia: excipiuntur aqua, & in pastillos co-

guntur. datur drachmę pondus ex calida iis qui ſanguinem cum vrina reddunt à veſica: Aluminis ſciſsilis, tragacanthæ, ſingulorum drachma: gummis oboli duo: paſſo excipiuntur. modò oboli duo: modò totum medicamentum præbetur.

Paſtillus ad expurgationem veſicæ, calculos rumpit: & quod eſt maximum, perſanat. ſic vt renaſci prohibeat. Seminis dauci, ſeminis cucumeris, aniſi, apii, ſeſelis, petroſelini, myrrhæ, ſingulorum drachma: caſiæ, baccarum lauri, cinamomi, nardi celticæ, ſingulorum drachma: trita excipiuntur aqua, & in paſtillos digeruntur. datur quotidie ieiuno drachma: ad triginta vſque dies.

Antidotum in vitiis renum, calculum comminuens. Calaminthæ, pulegii, ſingulorum drachmę decem: thymi, petroſelini, ſingulorum drachmæ quinquaginta: libyſtici drachmę quatuor: nitri, ſpicæ nardi, ſingulorũ drachma: mellis ſufficiens modus.

Nicerati Antidotum, vrinam ciet, regio morbo opitulatur: Cicerum ſiccorũ vncias octo: roriſmarini quantum manu capi poteſt: fœniculi tantundem: in aquæ ſextariis ſex decoquito, colatumque præſtato potandum, febricitantibus: iis qui febre non afficiuntur, ex vino.

Antidotum, iſchiadicis, vertiginoſis, & habitu malo languentibus accommodatum: Aniſi, caſtorii,

ſtorii,

ſtorii, ſingulorum vncia:euphorbii,piperis,ſingulorum ſemiuncia.

Antidotum contra omnem lienis adfectum, efficax quoque ad rupta,conuulſa,inflationes,& muliebria vitia:Myrrhæ drachmas ſex: nardi,radicis corticis capparis,peucedani radicis,dictamni,ſingulorum ſemiunciam:coſti drachmas quinque:panacis ſemiunciam,ſesquiſcrupulum:polii ſiciliquum , ſesquiſcrupulum:periclymeni radicis, corticis rubiæ, ammoniaci , ſingulorum ſemiunciam , ſeſquiſcrupulum : aceto mulſo excipito.

Antidotũ ad ſtrumas, abſceſſus auricularios, quos appellãt parotidas, ad omnem quoque defluxionem.Capit flauæ theriacæ,caſtorii,ſylueſtris ruthæ,folii,zeduaris, galangæ, ſingulorum drachmam : quæ melle excipiuntur , modus eſt, drachma,ex calida: qui adſumit, vinum non bibat:ſuillis aut hircinis carnibus non veſcatur, néue iis quæ præſeferunt acrimoniam.

Dialithoſperma,id eſt, è lithoſpermo Antidotum,renum vitiis,calculoſis,difficultati vrinę auxilio eſt.Lithoſpermi,betonicæ ſeminis, calcifragæ radicis , ſeminis petroſelini , piperis albi, æquæ portiones melle excipiuntur ſufficienti.

Potio,aquæ ſubter cutem fuſę conueniens,vt omnem aquam per vrinã ſubducat:Chartæ cõbuſtæ ſextula, fimi columbacei drachma, ruthæ vrbanæ ſiciliquus, vini tres cyathi: totum medi

camentum,

camentum, vna potione ſumitur.

Diacoralliu, id eſt, è corallio Antidotum, podagricis ſingulare. Habet rhei, pæonię, myrrhę, ſpicæ nardi, ſingulorum ſextantem: foliorum violæ, vnciam vnam: garyophyllorum grana quindecim: anagallidis puniceum florem ferentis (quam adpellant corallion) ſemiunciam: ariſtolochiæ longæ, & rotundæ, ſingulorum vncias quatuor: melle excipito, & quotidiè ſcrupulum, non crudis, ſed qui probè cibum confecerint, primum dato. vſum eius ab æquinoctio autumnali auſpicari conuenit, & ſequentibus quinquaginta diebus ſumere intercedente quindecim dierum ſpacio: & ſic proſequi, donec trecenti ſexaginta dies: quos capit annus, impleantur. ſub æſtu verò caniculorum prorſus vacare, omniq́ue malis & craſſis imbuto ſuccis edulio, abſtinere: & vino nigro, & largiore: deſcendere in balneum conuenit, & exerceri, vt pedibus inſiſtat, vel equo aut lectica vehatur: ira non ardere. qui ſicciore ſunt corporis habitu, aut quadrato, nullam conceperunt noxiam.

Procli Antidotum, podagricis conuenit, dolores pedum ſanat: articulorum, coxendicum, capitis & ſtomachi oculorúmque doloribus ſuccurrit: vrinæ medetur difficultati: callos, qui in articulis coaluerunt, ſummè diſcutit: iocinoris, lienis & renum dolores finit. Radicis ponticæ, agari-

agarici, aristolochiæ, singulorum pondo sextãs: phu quadrans: petroselini, mæi, singulorum pondo triens: hyperici quincunx: gentianæ vnciæ sex: centaurii vnciæ octo, trisaginis pondo dodrans (viro, scrupuli duo: fœminæ, scrupulus vnus datur) ea trita cretáque, in vrnam coniiciũtur. eo medicamine, vt dicemus, vtendum mense Ianuario, Februario, Martio: sumatur dictus modus alternis. Aprili verò mense, duplex alternis: Maio, triplicatus, diebus alternis: Iulio, Augusto, simplex modus, alternis: Septembri, Octobri, Nouembri, duplex modus, alternis: Decembri, quadruplex, alternis: ratióque victus in iis versatur, quæ bonos pariunt succos, & facilẽ capessunt concoctionem. pedes verò calida lauari, & oleo perungi conuenit.

Antidotum podagricis auxiliare. Agarici, aristolochiæ, rhei, hyperici, singulorũ sextãs: rubiæ quadrans, petroselini triens, gentianæ selibra, aristolochię lõgę septunx: centaurii bes, trisaginis dodrans: hæc tusa, & creta coquuntur. hoc dari debet podagricis, chiragricis, & cõtra omnem articulorum dolorem: hepaticis, lienosis. viro, sextulæ tres: mulieri, sextulæ duæ. sed duabus diebus antequam sumpturus quispiam sit, cibo parcat: vbi ebiberit, milliaria duo † equitet, vt turbatũ corpus succutiatur: & ieiun⁹, ad sex vsq; horas in balneas descẽdat ter in septimana: si verò incedẽdi facultas adempta sit, pedes & man⁹ sessa-

† καβαλι κεύτω vocabulum est è lingua Italica acceptũ.

ſeſamino oleo perungantur · abſtineat porrò omnibus craſſo ſucco prædītis, & frigido edulio, omniq́ue ſalſamento & acribus, venereq́ue.

Antidotum fœminis, quas vteri ſtrangulatus exanimat, perquàm ſalubre. Caſtorii ſextulæ octo, maſtyches drachma, myrrhæ ſextulæ dimidium, lachrymæ papaueris ſextula: tuſa cretáque cum decocto cumini dantur pondo ſextulæ.

Antidotum cœliacis, pleuriticis, dyſentericis, iis qui torminibus cruciantur, ſanguinem dimittentibus: contra cõuerſionem interaneorum, aut ſi interanea quandam ſentiãt eroſionem. lachrymæ papaueris, florum ſylueſtris punicæ, gallarũ, ammis, bdellii, ſingulorum ſemiunciam: tũdito, & creta ſeruato. modus, robuſto, ſextulæ ternæ: imbecillo, ſextulæ dimidium. bibitur ex frigida.

Diachamæmelu, id eſt, è chamæmelo antidotum aduerſus omnem grauem inteſtinorum cruciatum, dandum eſt: item aduerſus extuberantes tumores, & ſuccorũ craſſitiem: ſi lienis incremento laboret, ſi interanea aliquam ſentiant inflammationẽ. Chamæmeli, capparis, radicis, ſtyracis, iſatis radicis, ſeminis albæ ſpinæ, gẽtianæ, origani, id eſt, cunulæ bubulæ, radicis aſparagi, ſingulorum drachmam: ſeminis erucæ, ſextulæ dimidium: ammoniaci, epithymi, agarici, ſingulorum ſemiunciam: pyrethri drachmas duodecim: tũdito, & in cerniculo creta melle excipito, potionis modus eſt, ſextula: febrim non ſentientibus,

tib⁹,ex vino odorato: febri correptis, ex calida.

Antidotum,podagricis,articulariisque morbis salutare. Hermodactyli recentis vncia:anisi, cumini, piperis communis,croci seminis interni,piperis longi,singulorum scrupuli duo:zingiberis scrupuli quatuor:masticheſ scrupuli sex,casiæ scrupulus vnus,moschi siliquę quatuor: modus est,siliquarum quatuor. sumat quis cũ somnum init,ex aqua mulsa:adiiciantur huic modo, quaternæ scammonii siliquæ.

Panacia,Antidotum sic adpellatum,vociferationem ante initum certamen & etiam pòst stabilit:pollet cõtra inueteratos faucium tumores, quos vocãt antiades:aduersum etiam inflammationes,laxatam vuam,& gingiuas humore prægnantes:item cõtra depascentia oris vlcera,quas nomas adpellant:labantes firmat dentes:destillationibus,& vetustæ tussi subuenit, cruentæ excreationi & reiectioni sanguinis efficaci est auxilio. Vtimur medicamine modò meraco, modò passo adiecto vel melle,ex aqua calida. tonsillarũ inflammationibus & talibus affectionibus eximiè medetur. Est autem ratio componendi talis: Comæ papaueris,centũ & tredecim:hali (quod symphytum dicitur) purgati, quadrans: corticis mandragoræ, quadrans: seminis dauci, sextula: seminis papaueris,vncia:spicæ,tres sextulæ, scrupuli duo,foliorum ruthæ,sextula: dulcis radicis, florum syluestris punicæ, sing. semiuncia: casiæ sescuncia,



ſeſcuncia, ammis ſextula, coſti ſeſquiſextula, cardamomi duella, lachrymæ papaueris ſeſcuncia, euphorbii duella, piperis ſeſcuncia, roſarum ſextulæ tres, lachrymę panacis duella, męi ſemiuncia, paſtillorum è lacha ſextulę quatuor: croci, lycii, ſingulorum ſemiuncia: garyophyllorum ſemiſextula, aniſi duella, ammoniaci ſextulę tres, rhei ſemiuncia, foliorum citri duella: melanthii duella: ſatiui intubi duella: cretę cimoleę, ſextulę tres: ſulphuris ignem non experti, duella: caſtorii ſextula: ſinonis ſextula: hedychroi ſpiſſamenti, ſextulæ tres: ſeminis ocymi ſextula, gemmę iaſpidis duella, ventris mergi duella, artemiſię ſextulę tres: rhododaphnę foliorũ ſextula, cinamomi ſextula: ſeminis anethi, ſextula: bdellii, ſextulę tres: rhus ſyriaci, ſeſcuncia: aſari ſextula: hęmatitis gemmæ, vncia: thuris, ſextulæ tres: intubi erratici, ſeſquiſextula: tegumenti ſeu teſtæ ſepiæ, duella: corallii, ſeſcuncia: baccarum iuniperi magnæ, ſeſcuncia: baccarum iuniperi paruæ, ſemiuncia: ſanguinis dracunculi, vncia: cinaberis, ſextulæ tres: gentianæ, ſextulæ tres: peucedani, ſeſcuncia: ſeminis apii, ſeſcuncia: piperis albi, ſextulæ tres: piperis longi, ſextans: hermodactyli, ſextans: ariſtolochiæ longæ, vncia: libyſtici, vncia: nardi gallicæ ſextulæ tres: calami odorati, vncia: ligni, quod balſamum fundit, vncia: mellis modus, qui tibi faciet ſatis: lachrymæ vino bono & odorato macerantur.

Hęc vox eſt apud Paul. lib. 7. in Antidoto Sotera. Simon Genuenſ. interpretatur agreſte petroſelinum. Syluaticus petroſelin. Macedonicum.

Diapæonias,

Diapæonias, id eſt è Pæonia Antidotum prodeſt deſtillationibus à capite deuolutis, tuſſi & purulentis reiectionib⁹, tabidis, pulmonariis, coſtarum laterúmue inflammatione laborantibus (pleuriticos vocant) auxilio eſt. nam mirum in modum pectus & thoracem à deſtillationum & exulcerationum periculis vindicat, etiam ſi ſanguinē reiiciant, exhibitionis modus, ſiliquę tres: ieiuno, ex calida. plerūque tamen datur, & cum ſomnus accerſitur: in anginis, vino mulſo reſolutum, præſtatur aſſiduò gargarizandum: primóq; locus ex melle collinitur. datur & in coli, & renum cruciatib. & in ea, quam infarctus creauit, vrinæ difficultate, cū aliquo ex iis, quę vrinæ ciēdæ ſunt accommodata, (vt apij, adianthi, vel dauci decocto). exhibetur item in longis febribus, vt quartanis, quotidianis, duas horas āte acceſſionis initia, ex diluto: & eximiè proficit, coctione iam in vrinis apparente. repræſentatur quoque contra omnes peſtilentiæ contagiones & morbos, qui populatim graſſantur aduerſa cæli inclementia concitatos, cum iam impendentis mali principia ſentiuntur: vt hoc tutamine, ab iſtorum vindicentur iniuria: ſomnum quoque conciliat. Amomi, croci, ſpicæ nardi, coſti, lachrymæ papaueris, caſiæ, thuris, ſingulorum vncia: radicis pæoniæ & ſeminis, piperis vulgaris, rhei, apollinaris herbæ, myrrhæ, pyrethri, ſingulorum dimidiata ſextula: piperis longi, piperis candi-

di,folii,euphorbii,calaminthæ, ſingulorum ſex tulæ tres:caſtorii,petroſelini, ſingulorũ ſextans: mellis quantum videbitur ſatis eſſe.

Diatrionpipereon,id eſt è tribus piperum generibus Antidotum, perfrictionibus ſtomachi, & acido ructui,quartanis, exolutis, iocineroſis, & inflationibus auxiliatur,item tuſſientibus:datur nucis auellanæ magnitudine. Piperis vulgaris ſextans,piperis longi bes, piperis cãdidi bes, zingiberis ſextans:thymi,aniſi,ſeminis lini ſing. ſextans:mellis menſura ſufficiens,

Diathiu,id eſt,è ſulphure Antidotũ:valet aduerſus horrores,circuitu repetẽtes:vt febres quotidianas quartanaſque reſolutos,hepaticos, duabus horis ante acceſſionem cum poſca dilutiore. ſed oportet laborantẽ excrementis vacuum eſſe, & probam in vrinis apparere coctionem. Sulphuris ignem non experti,cardamomi, ſtyracis, apollinaris herbæ,ruthæ,myrrhę,ſingulorũ ſextulæ octo:coſti ſextulæ decem:caſiæ ſextans: libyſtici vncia: croci, piperis, ſingulorum ſextulæ quatuor:mellis quantum ſufficit.

Antidotum ſalubre contra venena exitialia: prodeſt inflammationib9 coſtarum, iocineroſis, ileoſis,ſtomachicis,oculorum lippitudine vexatis,angina laborantibus: & omnis faſcini amuletum eſt:lemures & laruas auertit amoliturque. Qui quotidie lentis magnitudine hoc antidotũ ſumptitant,toto vitæ curriculo nullam ſentient

ægro-

ægrotationem.bibat, qui febre non torquetur, exvino: febricitans,ex perquàm diluto. Recipit sylueſtris ruthæ,ſextulam vnam aut quatuor: piperis, marrubii, ſingulorum ſextulas quatuor, ſcrupulos duos: myrrhæ ſextulam: croci,iunci odorati,piperis candidi,nardi ſpicatæ,coſti,cinamomi cellucæ,aiugę,ſtœchadis,lachrymæ panacis,gentianæ, cardamomi, galbani, euphorbii, mandragoræ,ammoniaci,eringii,roſarum,elaterii,libyſtici,ſingulorũ ſextulas tres:ſtyracis,fructus balſami,dauci Cretenſis,eupatorii,fœniculi ſeminis,trifolii ſeminis,polii terebinthinæ, ſingulorum ſextulas quatuor: alterci, ſeu apollinaris herbæ,duellam: lachrymæ papaueris,ſeſcunciam: mellis qui ſufficiet,modum.

Philonis Antidotum, pollet cõtra colicos cruciatus,inflammationes coſtarum, & omnem†inteſtinorum dolorem: ſomnum accerſit: datur ſtomachicis fabæ magnitudine, cum ſucco hypocyſtidis,ex vini pauxillo: aquę inter cutem, ex poſca: nauſea vexatis, vomiturientibus, & vellicato mordicùs ſtomacho, nucis auellanę tuberculo: reſolutis in quotidiana febri, ex thymo, aut pulegio in difficultate ſpiritus, & aſthmaticis, ex aceto ſcyllino,nucis magnitudine: cruorem excernentibus,ex poſca: tabidis, & tuſſientibus, ex ptiſanę cremore: tuſſi ſiccę, ex aqua mulſa. Si lienis malè habet, manuales ramulorum capparis faſciculi,aceto iniecti, in aqua decoquũtur, & ex

† τῶν ἐντέρων

F iure

iure decocti bibitur. In dentium dolore, obducitur laboranti denti: sed labantes & mobiles, eo cum vino astringente detrito, delibuti firmãtur, stabiliuntúrque. Croci, drachmę quinq;: spicatæ nardi, euphorbii, pyrethri, apollinaris, singulorũ siciliquus: lachrymæ papaueris drachmę decem, piperis candidi drachmæ viginti: mellis quantũ ad ea excipienda satis erit.

Dialibanu, id est, è thure Antidotum, lachrymas mirabiliter sistit: medię caluarię dolorem & ilei, cum vino albo, quod in thure aut saluia ferbuerit, datum, mitigat: anginę, cũ ptisanę cremore sumptum, medetur: similiter & destillationes sanat. Castorii, lachrymæ papaueris, alterci, singulorũ drachmę tres: casię, siciliquus, sesquiscrupulus: folii, croci, thuris masculi, singulorum siciliquus: rhei, amomi, myrrhæ, singulorũ sesquidrachma: spicæ, pæonię, pyrethri, styracis, piperis, singulorum drachma: euphorbii, piperis candidi, singulorum sesquidrachma, mel sufficiens.

Diatragacanthes, id est, è tragacanthe antidotum, medetur omnibus pulmonum & pectoris causariis: maximè tabidis † macie cõfectis, inflãmatione lateris laborantibus & omnibus tussibus, calidis & siccis, exasperationi linguæ & gurgulionis. cõtinet autem ęgrotãs in ore, vt liquefactum deuoret, quoad perfectè exugatur. Tragacanthę candidæ, sextans: gummis Arabicæ vncia, amyli semiuncia, dulcis radicis drachmæ tres

† μαρασμικοῖς marasmo laborantibus.

tres:ſeminis cucumerum ſiciliquus, penidiorum quadrans, caphuræ drachma, zulapii dupōdius.

Diacoſtu, id eſt, è coſto Antidotum, prodeſt lienoſis, hydropicis, leucophlegmaticis, & hyposarcadiis, qui febri non confliƈtantur: detur ex decoƈto radicis capparum, & hæmionitis herbæ. conſimiliter auxiliatur & colicis, & renum viciis, & ſtomachicis à frigore adfeƈtis. Aſari, anethi, ſeminis apii, ſingulorum ſiciliquus ſeſquiſcrupulus: iunci odorati, myrrhæ, piperis nigri, ſimiliter ſingulorum drachmæ duæ, ſeſquiſcrupulus: croci, rhei, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorum ſeſquidrachma: cinamomi, ligni caſiæ, ſingulorum drachmæ tres: mel, quantum ad ea capiunda ſatis fuerit.

Diaireos, id eſt ex iri Antidotum, tuſſiculoſis, difficulter ſpirantibus auxiliatur: abſciſſæ vocis iaƈturam reſarcit, quæ perfriƈtione contraƈta ſit. Iris vncia: pulegii, hyſſopi, dulcis radicis, ſingulorum drachmæ ſex: tragacanthæ, amygdalorum, pineæ nucis, cinamomi, zingiberis, piperis, ſingulorũ drachmę tres, ſeſquiſcrupulus: ſtyracis drachmæ quinque: mellis modus qui ſufficere videbitur. datur ex vino calido.

Diacodion Antidotum, auxilio eſt cœliacis, dyſentericis, leuitati inteſtinorũ, alui profluuio, cum aqua cœleſti, in qua ſpodium inferbuerit, aut ſuccinum torrefaƈtum: vel cum ſtillaticio roſarum liquore: Sumens capita papaueris, neque

perquàm viridia, neque etiã ariditate exucta tredecim: rosarum siciliquum, sesquiscrupulũ: croci, acaciç, dulcis radicis, singulorum drachmam: armeniç glebç, semiunciam: cinamomi, hali (id est symphyti) hypocistidis, florum sylvestris punicç, singulorum drachmã: † myrti, dauci, singulorum vnciam: corallii candidi & rutili, rhus culinarii, draconis sanguinis, florum altheç, singulorum siciliquum: seminis portulacç, sesquiscrupulum. Capita papaueris in cœlesti imbre duos dies macerato: postridie ad tertias coquito, & detersis muscario sordibus, capita proiicito, & aquam, additis duabus mellis libris, iterum coquito, ad consistentiam: & deposito ab igni vase, species adiicito.

† Græcũ exempl. hoc loco habet tã tũ μυρτίδανα .i. semina myrti, vt sit sensus seminũ myrti vnciam.

Diamargaru, id est, ex vnionibus antidotum, omnem virium imbecillitatem firmat, iis quos animus deficit, siue à corde, siue à stomacho deliquium originem ducat: omnem noxç caussam vitalium partium discutit: insuper suspiriosis, tussientibus, tabidis auxiliatur: longo morbo deiectos, & imbecillitate languẽtes, recreat, & ad robur pristinum reducit: Cinamomi, garyophyllorum, spicç, galangç, dulcis radicis, xyloaloës, pastillorum è rosis (diarhodôn nominant) pastillorum è violis (diaiôn dicunt) singulorum drachma: nucis vnguentariç (quam myristicen adpellant) maceris, zaderç, rhei, styracis, singulorum siciliquus: vnionum, zingiberis, ossis ceruini

uini cordis, eboris blattii byſantis (quem priſci onychem dixere)ſingulorum drachma: moſchi, ſeſquiſcrupulus : ambaris,caphurę,ſingulorum grana,ſex:mellis modus,qui fecerit ſatis.

Diambar,id eſt, ex ambare Antidotum, cōtra omnem corporis imbecillitatem efficax,omnem corporis perfrictionem diſcutit : natiuum ſuſcitat calorem,& rediuiuū recreat reſarcitq́ue: eos,qui frigido torquentur humore, iuuat: articulis & membris omnibus magnificè ſubuenit: ſtomachum faſtidientem ceſas, & inappetentiam cibi,quiq́ue cōtinere non poteſt,ſummè corrigit:cor ipſum roborat. datur manè & veſperi ex vino. Ambaris,agalochi, ſingulorum ſextula,tar vnum:moſchi tar vnum ſtimma, id eſt ſextula:garyophylli,nuculæ moſcatæ,maceris, galangæ,ſingulorum drachma: cinamomi duella: zulapii roſarum quantum eſſe ſatis videbitur.

Diamoſchu, id eſt, è moſcho Antidotum, prodeſt contra micationem cordis impulſúmque:ei quoque,cui tumultuoſa inſōnia obuerſantur, auxiliatur : item iis qui in certis timoribus corripiuntur:zeduaris,zarnabi,vnionum candidorum, ſuccini, corallii, ſingulorum drachmæ octo : ſetæ crudæ (quam vocant meaxam) hermodactyli candidi & punicei, ſpicæ,folii cardamomi, ſingulorum drachmæ quatuor : auri dimidium tar ſcolima elimati: caſtorii,piperis longi, zingiberis,ſingulorum ſiciliquus, ſeſquiſcru

pulus:moſchi,ſeſquidrachma. Ea tunduntur,cretáque,cum deſpumato melle fermenteſcũt:moſchus cum ſtillaticio roſarum liquore ſupra calidos cineres ſoluatur, vt cum reliquis in vnitatẽ coeat.

Dialachan Antidotum, iocineris infarctus expedit,eiusq́ue frigus, duritiẽ & œdemata diſcutit:ad refrigeratum ſtomachum, & lienis dolorem, & omne ſymptoma ab illo proueniens valet:aquæ inter cutem,& ventoſis pręcordiorũ ſpiritibus,& craſſis omnib. recrementis, præſidio eſt. Lachæ repurgatæ, ſextulæ decem: coſti dulcis,ſpicæ indicæ,fructus balſami,ſurculorum balſami,caſiæ,aſari,tenuis cinamomi,croci, iũci odorati,rhei indici,maſtiches, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſingulorum drachmæ quinque: myrrhæ veracis,gentianæ,ſeminis fœniculi,pollii,garyophyllorum, cumini latioris, abſinthii, eupatorii,combebæ(quam priſci vocant carpeſion)ſing. duella:melle excipiuntur.

Diaromaton,baſilicum,id eſt,ex odoramentis,regium antidotum,proficit contra craſſam pituitam: imbecillo ſtomacho opitulatur:appetentiam excitat:erumpentem tumorem abigit: concoctionem adiuuat:colorẽ corporis purgat:mentem exacuit: fugat interaneorum ſpiritus: viſcerum morbis,remedio eſt. ſumitur ante & poſt cibum. Spicæ,caſiæ,maſtiches, garyophyllorũ tenuis cinamomi, aſari, ſingulorum vnciam:

florum

florum maioris rorismarini(quocenchryon dicitur) croci,santali citrini & rubri & candidi, costi dulcis,maceris,cinamomi,zingiberis,seminis fœniculi,anethi, singulorum sescunciam: nucis indicæ,agalochi,calami odorati, singulorum semiunciam:mel ex aqua cotoneorum, aut malorum, aut punicorum, coquito igni molliusculo: quo deinde species subigito.

Illinctus contra reiectioné humoris, tabidis, purulenta excreantibus, pulmonariis, costarum inflammationibus, tabefacto squalore confectis † & morbo exanimatis (id est, quos pallor ita decolorauit,vt ferè mortuorum imaginem præseferant) præsenti est auxilio.is illinctus,à Latinis instauratorius est dictus. Habet dulcis radicis,rosarum,sacharis,singulorum sextantem, siciliquum:tragacanthæ, gummis, singulorũ drachmas quinq;:santali candidi & rubri, singulorum drachmas tres:papaueris albi, vnciam:succi dulcis radicis,amyli,seminis portulace,† seminis maiulii,seminis intubi satiui, singulorum siciliquum: spodii, garyophyllorum, singulorum drachmas septem:cinamomi semiunciam, zingiberis,styracis,singulorum drachmam: croci sesquiscrupulum:penidiorum vnciam:seminis maluæ, violarum,singulorum semiunciam:caphurę pondo tarij vnius stimma: rhei indici, siciliquũ: zulapii,libras sex.

† τοῖς ἀπὸ νόσου ἀπονεκρωμένοις.

† Recẽtiores Grę ci θριδακίνην.i.lactucã μαιούλιον & μαρούλλιον vocãt, noĩe à vulgo accepto.

Alter illinctus,contra territos, & atra bile ve-

xatos: valet item aduersus magnam stomachi imbecillitatem, & eos qui animo linquuntur: memoriam reficit: mentem exacuit: comitialibus †acumine morborum proritatis, lunaticis opitulatur: & cerebri imbecillitati est remedio: cardiacis etiamnum prodest. Cinamomi, garyophyllorum, dulcis radicis, styracis, masticHes, seminis basilici, cardamomi, piperis longi † Myrtidani, corticis citrii, singulorum siciliquus & siliquæ duæ: inulæ candidæ, & rubræ (quam helenium appellant Græci) corallii, singulorum drachma & siliqua: mosci grana octo: caphurę grana quinque, zulapii sesquilibra.

† προξυνομένοις.

† Myrtidanon apud Hip. diximus esse semē myrti.

Diamargariton, id est ex vnionibus illinct⁹, concinnatur contra vehementem cordis vibratum: falsas abolet imaginationes, abhorrentésq; à ratione cogitationes animi, quib⁹ addicti sunt insani, & atræ bilis principatus, & dęmonia abigit: Recipit intubi, linguæ bouis vtriusque, maioris & minoris, santali citrini & rutili, linguæ passeris, singulorum drachmas sex: agalochi, succini, corallii cremati, ambaris, garyophyllorum, vnionum (quos vocant margaritas) seminis citrii, seminis basilici cyperi, luti armeniaci, coriani sicci, auri, argenti, aluminis, suc (id est, galliæ moschatæ) setę crudę, scobis, cornu ceruini, spodii, rhei indici, singulorum semiunciam, thymi, florum rorismarini maioris & minoris, senecionis, zudæræ, croci, combebę (id est, carpesii) maceris,

ceris, nucis indicæ, ſeminis intuborum, ſingulorum tres drachmas, moſchi, caphuræ, ſingulorum ſeſquiſcrupulum. Ea tuſa cretaque, cum punicorum zulapio, vt fermenteſcant, miſceto. modus eſt, ſiciliquus ſeſquiſcrupulus, ex antedicto zulapio.

Antidotum comitialibus ſalubre: Seſelis, pyrethri, ſtœchadis, ſingulorum duella: agarici ſextulæ quinq;: lachrymæ cyrenaicæ (id eſt, laſeris) cumini lati, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorum duella, ſcrupuli duo: aceti mulſi ſcyllini, libra. Cùm fuerit in animo alui deiectionem moliri, epithymi & ſcammonii, ſingulorũ duellam adiicies. Contra tabidos, purulenta excreantes, & ex thorace & pulmonum officina ſurſum fæculentam ſordidamque colluuiem excernentes, & eos qui in ea ſunt alea, vt in tabem confeſtim prolabantur, ſemperuiui ſucci, marrubii ſucci, ſingulorum drachma, paſſi cretenſis, mellis probi, ſingulorum cyathi duo: ſeminis vrticæ, cucumerum ſeminis, ſingulorum ſemiuncia: pilularum cupreſſi, vncia. coquuntur ad tertias ſimul omnia, quib. colatis, aceroſa quiſquiliæque proiiciuntur, & in humorem picis liquidæ, granulum vnum demittitur, & ad mellis conſiſtentiam coquuntur: deinde nardi ſyriacæ drachmæ quatuor, thuris drachmæ tres, croci ſiciliq. piperis ſiciliquus adiiciuntur. modus exhibendi fabæ magnitudo eſt. At ſi malũ impenſius vrgeat,

nucem

nucem pineã inſigniter fractã in aquam mittes: qua ſufficienter ſuperfuſa, decoques ad tertias: hocq́ue colato decocti iure, vice aquæ vtéris.

Antidotum aduerſus ſtomachi fluxiones optimum: ſanguinem ſurſum reiicientibus, tuſsiculoſis & pulmonariis auxilium adfert: quippe quòd probè humores emoliatur, celeriterq́ue & citra moleſtiam expleat. Croci, folii, ſingulorũ drachma: marrubii, iris, piperis candidi, pulegii, hyſſopi, ſingulorũ ſextans: erui farinæ, ſextarius: amarorum amygdalorum ſextarius: mellis tãtundẽ, ſi videbitur ſufficere.

Aliud, ad quotidianas febres efficax: Styracis, iris, myrrhæ, lachrymæ papaueris, ſingulorũ ſemiuncia: lachrymæ panacis, piperis, ſingulorum drachma: mellis quãtum ſatis fore videbitur. datur Aegyptiæ fabæ magnitudine, † ante febrium ſignificationes, idq; decumbentibus in lecto, & delibutis oleo, & granis decem piperis. ſed propter adſtent carbones. hoc ſomnum accerſit, & ſudores leuat: maxime in prælongis, & iis quæ cruditate multa ſcatent, viciis.

† περὶ τῆς ἐπισημασίας ante acceſſionem.

Aliud. Agarici, gentianæ, ſingulorum drachmam, ex aqua mulſa ante ſignificata febrium rudimenta dato: hoc mediocriter extenuat, & infarctos meatus expedit: per ventrem & vrinam materiam commoderatè ſubducit.

Aetites verò, amuleti vice geſtatus, valet contra rigores, qui circuitu repetunt: & præcipuè ad

quo-

quotidianas, quartanas, & morbos articularios: in quartanis, si quis balneo vtatur, duas horas ante reducis febris significationẽ, è diluta potione præbeto: articularibus morbis ex mulsa. cõficiũtur hoc modo. Bituminis drachmas quatuor, myrrhæ drachmas duas: foliorum menthæ, drachmam: croci, zingiberis (in aliis & lachrymæ papaueris) singulorum sesquiscrupulum.

Aliud, quod pollet contra reduces febriũ ambitus. Alterci seminis, lachrymæ papaueris, styracis, singulorum drachma: croci, myrrhę, aloës, singulorum tres oboli: melle excipiuntur, & ponticæ nucis magnitudine exhibentur ex aqua, inunctis anteà crurib. & extremis partibus: vtque somno indulgeant, datur facultas.

Aliud, quod sudores ciet, & altum somnum conciliat, duab⁹ horis ante significationes quartanæ desumptum: Pulegii, semiunciam: grana cnidia, viginti quatuor: piperis grana: viginti: myrrhę drachmam: lachrymæ papaueris drachmam: vino subacta, in formas digerito: & trium obolorum pondus exhibeto. confert exulceratę arteriæ, & vociferaturis, antequàm certamen milites ineant, aut post certamina exhibitum: doloribus oculorum, foris in madefacto vellere superpositum, auxiliatur: intestinis affectionibus, illinctu succurrit: Gummis, tragacanthæ, singulorum drachmę sex: thuris, myrrhę, singulorũ drachma & oboli tres: croci, succi hypocistidis, singulo-

ſingulorum drachma:paſſi ſcybelitici antherei, ſextulis ſenis excipiuntur.

Diaptereos Andromachi, id eſt è filice Antidotum, odoratum: cruenta expuentibus, laterum inflammatione conflictatis, tabe confectis, ictericis, lienoſis & iocineroſis, adiumento eſt: aduerſus vteri & veſicæ adfectus efficax eſt. Radicum filicis craſſiorum libras decem, in denis aquę ſextariis coquimus, donec modi huius dimidiũ abſumatur. quibus abiectis, earum iuri adiicimus adultos punicæ ſylueſtris flores contuſos, inſtar drachmarum ſex: nardi indicæ, roſarum ſiccarum, ſingulorum drachmas quatuor: cinamomi drachmas tres, radicis dulcis drachmas ſex: caſiæ ſemiunciam. deinde rurſum igni excoquimus, & cum ad dimidium ventum fuerit, iterum defæcamus: & in talem iuris liquorem mellis heminas quatuor addimus ac rurſum coquimus. cúmque in frigidam aquam inſtillatus non polluit, adiicimus reſinæ, terebinthinæ, & galbani, ſingulorum drachmas ſex: quibus liquefactis, admiſcemus quæ mox ſubſcribũtur: qualia ſunt, crocus, apollinaris herbæ ſuccus, mandragoræ ſuccus, piper album. hæc omnia in leuorem redacta, primùm cum ſucco filicis vnita, vt ſtrigmenti referant craſſitudinem: deinde ſubacta, & diligenter contuſa, in vitreum vas transferenda ſunt: modꝰ potionis, inſtar cochlearis. maximè iis opitulatur, qui vocis abſciſſæ fecerunt iacturam.

Catapo-

Catapotium, dolori ſopiendo accommodatum : valet aduerſus inueteratos affectus:deſtillationi, doloribus capitis, difficultati ſpirandi, pulmonariis , vteri & veſicæ noxis opitulatur, †quod à quibuſdam verſibus deſcribitur . Myrrhæ, piperis, lachrymæ papaueris , ſtyracis, caſtorii,galbani, pares portiones:cum paſſo adſumuntur , & in catapotia digeruntur . quibus vtitor contra defluxiones, quæ ad interna decumbunt : ad vuam, tonſillas, exulcerationem arteriæ faciunt, ingargarizata : & ad ſanguinis profuſionem, ex aqua frigida : compluribus, ex poſca , nucis ponticæ magnitudine : ſanguinem meientibus, muliebri profluuio, & potu & appoſitu ſuccurrit . Myrrhæ vncia , nardi indicæ drachma,cinamomi ſesquiſcrupulus, thuris vncia, croci ſemiuncia, piperis drachmæ quatuor, acatiæ ſucci triẽs, coſti ſemiuncia,ſtyracis triẽs, iris ſiciliquus, roſarum ſiccarum ſextans . melle cocto excipiuntur.

† ἐπιγράφεται παράτισιν· ὁ στίχος inſcribitur apud quoſdã. ὁ στίχος.

Illinctus,difficultati ſpirandi auxiliãs. Aſellos ſeu millepedas , qui in vaſis aquariis ſeruantur, inſtar ſextulæ vnius, fictili vaſi iniectos , ſupra prunas torrefacito: & vbi dealbuerint, conterito,& melle cocto excipito: ternarúmq; ligularũ menſura,ante cibos præbeto delingendos.

Aliud. Scyllæ crudæ ſuccum exprimito, eíque parem modum mellis attici miſceto, & ſupra prunas coquito . dato ante cibos & poſt,in-

ſtar trium ligularum.

Diatheiu apyru, id eſt, è ſulphure ignem non experto, antidotum, difficulter ſpirantibus auxilio eſt. Aniſi, ſulphuris viui, ſingulorum quadrans: ammoniaci ſuffimenti, caſtorii, gith, ſingul. ſemiuncia: ea aqua diſſoluũtur, & in catapotia cogũtur, quę dãtur ĩ aceti mulſi cyathis trib⁹

Aliud è ſulphure ignem non experto: Sulphuris viui, ſeminis ruthæ ſylueſtris, ſingulorum drachma: ariſtolochiæ, abſinthii, ammoniaci ſuffimenti (quod appellant thymiana) abrotani, ſingulorum ſemiuncia. ea in aceto trita, digerũtur in catapotia, quæ fabam magnitudine æquent. dantur tria manè, & ſerò totidem.

Aliud catapotiũ. Colocyntidis ſeſquidrachmam, iris ſiciliquũ, lachrymæ panacis ſiciliquũ, abrotani drachmam, redigito in fabales orbiculos, aqua excipiens. dantur numero quatuor.

Diaporon, id eſt, è fructibus Antidotum, contra ſtomachi ſubuerſionem efficax: cœliacis, dyſentericis opitulatur. Sorborum ſextarius, baccarum myrti ſextarius, rhus ſyriaci ſextarius: palmularum, quæ ſole maturuerunt (phœnicobalanos adpellant) libræ duæ: mala cotonea decem, punica mala integra decem: paſſi a-nimæi vel mellis ſextarius: tuſi fructus, & in aquam coniecti, operoſe coquuntur: cúmq; fuerint diſſoluti humorem exprime, & abiecto †paleaceo, rurſum coque, donec tertia pars fuerit re-

†ἀχυρώδει.

liҫta:

licta:tunc mel additur, & coquitur: mouetúrque rudicula medicamentum, dum in ſufficiens concrementum coaluerit.

Aliud contra ſubuerſiones ſtomachi:facit etiã ad cœliacos, dyſentericos: Seminis apollinaris herbæ, ſeminis apii, ſingulorum ſemiuncia:florũ roſarũ, aniſi, hypocyſtidis ſucci, myrrhę, ſingulorum ſiciliquus:croci, lachrymæ papaueris, ſingulorum ſeſquidrachma.

Aliud ad ſtomachi ſubuerſionem. Acidi punici acinorum expreſſorũ ſucci, ſextarios tres, ſucci menthæ ſextarium:mellis ſextariũ in vas coniicito, & ad mediocrem conſiſtentiam excoquito:& ante cibatum, ligulam vnã aut duas dato.

Origenium medicamen, item ad ſubuerſiones ſtomachi accommodatum: Florum roſarũ, drachmæ octo: baccularum myrthi nigræ ſine interioribus granis, acetabulum: apollinaris herbæ ſeminis, acetabuli dimidium: paulatim teruntur, & adiecto protropo (id eſt, vino quod ſponte profluit antequàm calcentur vuæ) menſura ſufficienti:deinde carnes, decem palmularum †calcatarum his adiiciuntur:quæ contrita, in catapotia formantur, quæ ciceris magnitudinem æquent. dantur tria vel quatuor, ex aquæ mulſæ cochleariis duobus.

†πατητῶν, Plin. φοίνικας, πατητοὺς dici ſcribit, quod madẽtes pluuia in arbore ſeſe aperiant & diffindant, vt videãtur calcatis ſimiles.

Catapotium, ad ipſum, quod æſtuantes à ſiti vindicat. Cucumeris ſatiui vncia, ſeminis portulacæ drachmæ octo, tragacanthæ ſemiuncia.

cia, Tragacantha, candido recentium ouorum crudorũ liquore diluitur: & dilutæ, reliqua adiiciuntur, & conglomerãtur in catapotia: quę siccantur in vmbra, & sub linguam dantur detinẽda, vt manans inde liquor imbibatur.

Hepatica Andromachi, referens imaginem cyphoidis, id est, gibbi, aduersum omnia pectoris vitia valet. Vuarũ passarum, drachmæ quinq; & viginti (aliquibus centum) croci drachma, calami odorati siciliquus: bdellii, iunci odorati singulorum drachmæ duæ, sesquiscrupulus: cinamomi, casiæ, spicæ nardi, singulorum terni oboli: myrrhæ, terebinthinæ, singulorum semiuncia (nonnullis drachmæ sedecim) aspalathi duo oboli, mellis drachmæ sedecim, vini quantum videbitur esse satis.

Potio conueniens hepaticis, lienosis, vitio renum laborantibus, stomachicis, aqua inter cutẽ laborantibus, ex partu conflictatis, conuulsionibus, ex imbecillitate sese recolligentibus, noxio imbutis humore, regio morbo, tussi, laterum inflammationi, letalibus venenis, omni virulentorum animalium ictui: nardi indicæ, costi, singulorum siciliquus: casiæ, croci, apii seminis, acori, opobalsami, iris, singulorum drachma: piperis candidi, oboli tres. Ea passo, vel melle excipiuntur. datur potio ad drachmam vnam, ex vino vel aqua mulsa, vel diluto, passo, vt conuenire putabitur.

Diaco-

Diacodion potio: Capita papaueris centum, dulcis radicis ſucci libra: ſapæ libræ centũ. prodeſt iis, quibus tenui fluxione à capite deuoluta, tusſis excitatur: & quibus venter acria & bilioſa excernit: item calidæ intemperiei, & cholera laborantibus: nec non peruigilio vexatis.

Oxymeli, id eſt, acetum mulſum, ſimplex: Capit mellis libras quadraginta, aceti libras viginti, aquæ libras ſexaginta.

Alia eiuſdem componendi ratio: Mellis libræ quinq; & quinquaginta, aceti libræ quindecim, aniſi libra vna, croci ſextans, radicum apii ſextans, radicum fœniculi libra vna.

De liquoribus medicatis.

DIamelicratu, id eſt, ex aqua mulſa, potio: valet contra peruigilia, cœliacis cũ febre ſubuenit: congruit fœminis vterum gerentibus: & ſi craſſus humor reiectionem efflagitans, pulmonis officinam obſideat. Viridium papaueris capitum, cum ſuo ſemine, libræ ſexaginta: aquę librę ſeptuaginta: mellis libræ triginta.

Diamoron, id eſt, è moris, aut iis quæ in rubo naſcuntur, potio, contra depaſcentia oris vlcera: ad dentium affectus, & anginarum noxas gargarizatu proficit. Succi mororum, aut eorum quæ rubus aut ſentes proferunt, libræ quindecim: mellis libræ quinq;: croci, myrrhæ, ſucci ſeu melliginis acerbarum vuarum, ſeſcuncia: ſcisſilis aluminis vncia, vini auſteri dodrans.

Rhodomeli Coinõ, id eſt mel roſatum commune, cõtinet roſatum libras duodecim, & mel ſufficiens.

Vmphacomeli, id eſt, mellitum omphacium: Capit ſucci vuarum acerbarum libras ſex & triginta, mellis deſpumati libras duodecim.

Hydorroſatum, aqua roſacea, prodeſt cœliacis, ſiti & inflammationibus oris, oriculario clyſtere indita. Roſarum libræ quatuor & viginti, aquæ libræ centum & viginti, mellis libræ centum & quadraginta.

Acetum ſcyllinum. Scyllam candidam purgatam, & in vas quod acetum capiat iniectã, quadraginta dies inſolato: & deinde proiecta ſcylla, acetum ſeruato.

Diacaryon, id eſt, e nucibus compoſitio. Habet ſucci corticum iuglandium libras quadraginta: mellis libram: croci ſextulam: myrrhæ ſextulam: aluminis ſeſquiſextulam.

Diarhoon, id eſt, e punicis malis, compoſitio ſtomachica: Malorum punicorum dulcium, acidorum, & auſterorum, ſingulorum libræ duæ: mellis libræ ſex.

Hygieinu ſpermatos, id eſt, ſalubris ſeminis, compoſitio. Zingiberis, fœniculi, anethi, piperis, ſingulorum ſiciliquus: adduntur quibuſdam iris drachmæ centũ. ea tuſa, & ex vino vetere odorato ſubacta, linteolo colligantur, & in vini ſuauisſimi congiũ coniiciuntur, in quo mul

tos

tos dies ſinantur macerari:quo longiore temporis curriculo maduerint,tanto fuerit melius. dein exempto linteolo , detur quotidie ante prandium hemina potanda.

Conditum ſic conficitur.accipito garyophyllorum ſextulas octo,muſcatæ nucis ſextulas ſex, cinamomi ſextulas quadraginta: zingiberis ſextulas quatuor & viginti , galangæ ſextulas ſex, piperis longi ſextulas quindecim , piperis nigri ſextulas quindecim , floris roriſmarini ſextulas decem,folii indici ſextulas duodecim,ſpicæ ſextulas nouem, croci ſextulas quatuor , baccarum lauri ſextulas quatuor.hæc trita, in vini boni & odorati menſuras quatuor coniicito, & mellis menſuram vnam addito.

Scyllinum vinum ſic facies : Scyllæ in taleolas diligenter conſectæ & repurgatæ minas tres, demittes in metretam italicam excellentis muſti, vaſe ſex menſibus oblito : poſtea excolatum elutriabis, & ita recõdes, vtile cruditatib⁹, & iis quorum in ventriculo cibus corrumpitur, & ſtomachus in vomitiones effunditur : iis item, quorum in aluum & ſtomachum pituitæ craſſities decubuit:medetur lienoſis,male habitis corporibus, hydropicis, arquatis, vrinam ægre reddentibus,torminoſis inflationibus, neruorũ reſolutionibus, & diuturnis febriũ horroribus, vertiginoſis : & menſes pellit : idem minime neruis aduerſatur . inueterato vtilitas maior.

ior. Cauendus in febri eius vſus & in interaneorum exulcerationibus.

Cydonites, id eſt, è cotoneorum ſucco, vinum ita fieri conſueuit: mellis libræ ſeptuaginta: piperis libræ duæ & ſemis: zingiberis libræ duæ, ſeminis ſpicæ, quincunx: aniſi libra: petroſelini, dupondium: garyophyllorum ſelibra: cotoneorũ libræ quinquaginta: vini odorati, quãtum videbitur eſſe ſatis. hoc ſtomachum firmat, & ventrem cohibet.

Alia conficiendi huius ratio: Mala cotonea exprimere conuenit, & expreſſi ſucci põdo duo, cum mellis libris octo miſcere, & ita recondere. Vinum hoc aſtringendi vim habet, ſtomacho prodeſt, dyſentericos iuuat: hepaticis, renum vicio & vrinæ difficultati fert præſidium: datur inteſtinorum ſentientibus exulcerationem, † & contra ſcabiem circa venas erumpentem: item renum, & veſicæ noxis, in quibus furfuracea aut capillacea in vrinis ſidunt recrementa, opitulatur.

† καὶ ταῖς κατὰ φλέβας ψωριάσεσι.

Rhodites, hoc eſt, roſaceum vinum, ſic efficitur: Roſarum arentium tuſarum mina, linteolo illigata in ſextarios octo muſci demergitur: poſt menſem tertium percolatur, transfunditur & reconditur. Stomachi doloribus, & cõcoctionibus iuuandis vtile, ſi poſt cibos ebibatur: item contra madidas aluos & humore pregnantes valet: & dyſentericis auxilio eſt.

Fit

Fit quoque è ſucco roſarum, & melle cõmiſtis, quod Rhodomeli nominant: arteriæ ſcabriciis & aſperitatibus vtile.

Myrtites, id eſt, vinum ex ſucco baccarum myrti, & vino, ſimiliter conficitur: abundè adſtringit: ſtomachum titubantem iuuat: eiuſdem fluxiones & alui quoque, diſcutit: inteſtinorum exulcerationes & proluuiem emendat: capillum nigrat.

Myrſinites vinum, conſimiliter fit ex ramalibus myrti (cum folio & bacca per fiſcum expresſis) contra furfures & vlcera in capite manantia, & contra papularum eruptiones, gingiuas, tonſillas & purulentas aures efficax eſt, ſudores reprimit.

Cedrites vinum, ita conflatur: Credris aqua dulci prolutis, ſingulas fidelias vno cyatho colluunt, ac ita vaſa muſto complent. hoc vinum excalfaciendi, tenuandíque facultatem obtinet: tusſibus vetuſtis commodè bibitur, ſi abſint febres, vicia pectoris, laterúmq;: item tormina, vlcera in aluo & interaneis diſcutit: excreationibus purulentis, aquæ inter cutem fuſæ, muliebribus vuluæ cauſariis opitulatur: beſtiarũ ictibus medetur: ſerpentes necat: aurium dolores inſtillatum perſanat.

Pisſites vinum, conficitur ex pice liquida & muſto. Pix ipſa lauatur antè mari aut ſalſugine, tantiſper dum candorem contraxerit, & mare

purum effluat:deinde madeſcit aqua dulci: & in octo congios muſti,picis huius ſextans additur: & ita ſinunt,dum inferbuerit & conſtiterit: dein vaſis indunt. Vis ei calfaciendi, concoquẽdi, detergendi, ac purgandi incommoda pectoris, alui,iocinoris,lienis:& vteri vicia tollit,ſi ſine febri ſint:antiquis defluxionibus, vlcerib⁹ in profundum dehiſcentibus,ſuccurrit:tarditatem cõcoctionis accelerat:tusſibus,inflationi,ſuſpiriis prodeſt: luxata meliùs ad ſe redire, ſuccido vellere cum aceto munita,creduntur.

Abſinthites vinum variè conficitur: nonnulli enim in muſti metretam celticæ nardi drachmas quatuordecim, & abſinthii drachmas quadraginta,illigatas linteo,demittunt: & poſt quadraginta dies transfundũt. Alii verò in viginti ſextarios muſti,libram vnam abſinthii coniiciunt, & piceæ reſinæ ſextantem: póſtque dies decem, vinum colo diffuſum,recondunt. proficit ſtomacho, vrinam ciet, tarde coquentes adiuuat,iocinerofis, renum vitiis, regio morbo opitulatur: cibum faſtidientibus, ſtomacho laborantibus, tenſioni præcordiorum diuturnæ , & inflationi ſuccurrit : rotundas ventris tineas & ſuppreſſos menſes euocat: contra epota ixiæ venena, quàm largisſimum epotum , obitérque vomitionibus redditum,auxilio eſt.

Stoechadites vinum , ſimili ratione factitatur . coniicienda eſt in ſenos vini congios, ſtœchadis

chadis mina: hoc craſſitiem, inflationes, laterum dolores, & neruorum perfrictiones diſcutit: comitialibus commodè datur cum ſagapeno & pyrethro.

Thymites vinũ & Thymbrites, difficiles coctiones promouet: ciborũ faſtidiis, & intermortuæ appetentiæ, neruorum & præcordiorum noxis, confert: item contra hybernos algores, & venenatos ictus: quorum morſum refrigeratio, aut eroſio ſequitur.

Aromatites vinum, conficitur hoc pacto. Calami odorati drachmæ viginti: phu drachmę ſeptem: coſti ſiciliquus: nardi ſyrenaicæ drachmæ ſex, caſię vncia, croci ſemiũcia, amomi drachmæ quinque, aſari drachmæ quatuor, teruntur omnia, & linteolo colligata, in muſti cadum demerguntur: & vbi conferbuerint, vinum in cados diffunditur. Vitia pectoris & laterũ pulmonisque corrigit: vrinæ difficultatem, horrores, & menſium moras emendat: iter facientibus per niuem & gelicidia, potum præſidio eſt: iis qui craſſos ſubinde creant humores, vtiliter bibitur: colorem alit: ſomnum allicit: dolores leuat: renũ & veſicæ vitiis auxiliatur. Eſt & aliud genus vini factitium, eodẽ nomine adpellatũ, quod valet ad deſtillationes, cruditates, tuſſim, inflationes: & ſtomachi (cũ humor ĩſedit) diſſolutiones. Myrrhæ denarios duos, piperis cãdidi denariũ, iridis denarios ſex, anethi denarios tres: illigata lin-

teolo, in senos vini sextarios demittunt. post tertium diem, percolatum reponunt in lagenis: bibitur meraca potio post inambulationem, instar cyathi.

Elelisphacites vinum (quod & Saluiatum dicitur) sic conficitur. Saluię drachmas septuaginta, in musti amphoram demittimus: in renum vesicæ, laterum morbis efficax est: item contra sanguinis reiectiones, tussim, rupta, vulsa, contusa, & suppressos menses, prodest.

Mandragorites vinum. Corticē radicis excisum, linteolo colligatum, instar selibrę in cadū musti suspendis: & post trimestre transfundis. Media potio, dimidium heminæ. Sed antequam sumatur, prægustandū est passum portione dupla. Aiunt si eius hemina in vini congium addatur, toti triclinio somnum conciliari & soporem adferre: sed si cum sextario vini cyath⁹ vnus ebibatur, mortē repræsentare. commoderatus vtiq; vsus doloris sensum, illecta quiete, tollit: destillationes incrassat. idem efficit odoratu perceptū, & auriculari clystere infusum.

Acetum mulsum, quod Oxymeli vocant, factitatur Dioscoridi hoc pacto: Heminæ aceti quinq;, dimidia salis marini mina, & mellis minæ 10. cum aquæ sextariis quinque, coquuntur tantisper dum decies efferbuerint: deinde refrigerata, vasis induntur. putatur autem crassitudines detrahere: & morbis coxariis, articulariis, ac comitia-

comitialibus mederi: cõtra morsum viperæ, quã Sepa vocant, & contra haustum meconium, & epota ixiæ venena, remedio est: anginis vtiliter gargarizatur.

Oxalme, id est, acida muria, & quasi acetum salsum. hac nomas & putrescentia vlcera foueri proficiet: contra canum morsus, aculeatos ictus venenatorum, auxiliatur. sanguinis profusionẽ, post excisos calculos, sistit: si in vulnus calida, statim ab excisione infundatur. prociduã sedem reuocat: dysentericis, nomas sentientibus, subter in aluũ datur: sed superfundi lac oportet. eadẽ & sorbtu & gargarizatu hirudines necat, furfures & manantia capitis vlcuscula, discutit.

Thymoxalme, qua veteres vtebantur in stomachi imbecillitate, ternos quaternósue cyathos, eius aqua dilutos, propinantes. dabant † & articularibus morbis, & inflationem sentientibus: eadem pituitas crassas & atras detrahebant. Parabatur hac forma: Thymi triti, acetabulum: salis tantundem: polentæ, pulegii, ruthæ, singulorum exiguum: coniiciuntur in fictile: dein aquæ sex heminæ superinfunduntur, & aceti dimidiũ heminæ, postremò sub diuum linteolo circundatum effertur.

Hæc oĩa non sunt in Græ. exẽplari nostro, quare interpres aliud exempl. habuisse videtur, vt facile est cõiicere ex capite de Rhodite vino, vel aliunde huc transtulisse.

Scylliticum acetũ, hoc modo conficitur: Scylla quæ fuerit alba, repurgata & concisa, lino sic traiicitur, vt segmenta se mutuò nõ contingant; & suspenditur in vmbra per dies quadraginta,

donec

donec ſiccetur. ex ipſis mina in optimi aceti duo decim ſextarios mergitur: & vaſe diligenter obturato, octo dies ſub ſole madet: poſt eum numerum dierum, ſcylla exprimitur: & expreſſa ipſa quidem, abiicitur. acetum verò deſęcatum, tranſfunditur, & reponitur. Quidam ſcyllæ pondo, in ſextarios aceti quinos demittunt. Alii tunicis quidem exuunt, ſed exareſcere non permittunt, ſtatimq; muſteas ac recentes alias pari mēſura coniiciunt in acetum, & ſenis menſibus macerari patiuntur. hoc multo magis humorum lēticias incidit: gingiuas humore pręgnātes, aſtringit: labenteſq; collutum firmat: dentes mobiles ſiſtit: fœtentem animam, & graues ſtomachi halitus, emendat: faucium callos ſorbtu durat & vocem expedit, ſic vt clarior nitidiorque ſonus edatur. prodeſt affectis ſtomacho, cibos ęgrè coquentibus: item comitialibus, melancholicis, vertiginoſis, mente captis, vuluarum ſtrangulationibus, lienis incremento laborātibus, vitiis coxendicum, recolligendis corporibus: & imbecillitati recreandæ, & iacturę virium reſarciūdæ conuenit: ſecundam vtique valetudinem, viuidumq; colorem præſtat: oculorum aciem exacuit: tarditatem aurium, inſtillatione purgat. generatim ad omnia perquàm laudatur, niſi inteſtinorum ſentiatur exulceratio. datur per ſingulos dies ieiuno ſorbēdum, inter initia, modice: proceſſu copioſiùs: paulatim modo creſcente, aduſque

que cyathum. quanquã non desunt, qui cyathos duos & eo amplius exhibeant.

Mellitites vinum, datur in febri vetusta, debilibus stomacho: siquidem aluum emollit, vrinas mouet, stomachum expurgat. prodest articularibus morbis, vitiis renum, & quorum caput imbecillitas infirmauit, mulieribusq; vini abstemiis: vtpote quòd odoratũ sit, & corpus alat. Distat à mulso: quod illud è vino veteri austeroq;, addito melle exiguo, tẽperatur: mellitites verò, è musto austero, instar quinq; congiorum adiecto & mellis congio, & salis cyatho. Conuenit autẽ in magno vase conficere, vt feruescẽti & ob hoc intumescenti locus pateat: salis modus, quem diximus, donec ferueat, inspergitur: simulatq; efferuescere desierit in cados diffunditur.

Melicratum, id est, aqua mulsa, eandem vim quam & mulsum possidet. cruda vtuntur ii, quibus alui deiectionem moliri, aut vomitionẽ ciere libeat: quemadmodùm & in iis, qui venenatũ aliquid hauserunt, ex oleo eam præbemus. Cocta verò exhibetur imbecillis, & animo exilibus: item tussientibus, pulmonariis, & iis qui immodico sudore digeruntur. Sed iam paratũ repositumq;(id proprie vocant Hydromeli) hoc ætate media, secundarii vini ceu loræ, vel potius eius quod Adynamon vocant, vicem implet. recreandis ab sinistra valetudine viribus(proinde inflammationem alicuius patris sentientes, innocentius

centius vtuntur eo quàm lora) inueterati tamen vſum, in inflammationibus, feruoribus, & aſtrictis febribus damnauere: ſed ex ſtomacho laborantibus, aut cibum faſtidientibus, aut repentino pauore perculſis, aut ſudatoribus, accommodatum eſt. Fit hoc modo: Duabus aquæ cœleſtis inueteratæ partibus, ad vnam partem mellis additis, & inſolatis. Alii fontanam miſcent aquam, & ad ternas decoquunt, & ita conditum adſeruant. Nec deſunt, qui inter hydromelitis genera enumerẽt, quod à melle elutis aqua fauis confici ſoleat, & Apomeli nominent: hoc tamen meracius fieri conuenit. Aliqui etiam decoquũt: quod in ægrotantibus improbatur, propter ceram, quam plurimam obtinet.

Thalaſſomeli, purgat efficaciter. Conficitur, æquis portionibus mellis, imbris, & maris: quæ percolata, vaſe picato reconduntur: flagrante canis ſidere iugiter inſolantur. Quidam cum maris decocti partibus duabus, vnam mellis miſcẽt, & fictilibus condunt.

Hactenus de vſu liquorũ, quibus diuerſa medicamina commiſcentur, quæ ob id diuerſas ſibi vires vendicant.

De purgantibus medicamentis.

DE medicamentis repurgantibus, iam nobis eſt diſſerendum: quandoquidem horũ quędam ad flauam bilem, nonnulla ad atram vacuãdam: alia ad pituitam, vel aquam ſubducendam

nata

nata sunt: Flauam bilem euacuantib. vtimur, in quibus ad os ventriculi bilem insedisse suspicamur, & in quibus ea genere venoso concepta spargitur: & in tertianis febribus, & perpetuis iam suo incremento sæuientibus: aut arquato morbo: & vt summatim dicam, in quibus flauæ bilis copiam redundare putamus, iuxta prius à nobis editas ad hoc discretiones.

Atram bilem ducentia, vsurpamus in melancholicis, furore percitis, ira deflagrantibus, in iis quoque qui hominum consuetudinem auersantur (μισανθρώπους Græci vocant) in habitu corporis persicco, & sanguinis inopia pallescentibus, solitariis, quartanis febribus, insanis, & furiosis.

Pituitam ducentibus vtimur in algoso corporis habitu & ætate, in frigidioribus morbis, vt in iis qui membris sunt capti (paretos nominãt) attonitis, & iis qui fungosis extuberant tumoribus: in coxendicum cruciatibus, & quib⁹ totum corpus obortis inæqualiter tumoribus scatet (anasarcaldion vocant) quasi vitium subter carnẽ fusum dixeris, & vt in pauca verba conferam, in quibus pituitam negocium facescere putamus.

Quemadmodum aquam deiicientibus medicamentis est vtendum, in eo aquæ subter cutem genere, quod Ascitem vocant: item fœminis, quę diuturno candidorum mensium profluuio torquentur: & in iis quibus enata vlcera, defluxionibus vliginosis scatent: sed de iis hactenus.

De

De simplicibus medicamentis purgantibus.

IAm de simplicibus medicamētis membratim dicemus, quæ purgandi naturam sortiãtur, & quem singula deiiciant humorem: postea de cōpositis exponemus: ne quicquam promissionis nostræ desideretur.

τοῖς ἐν-τέροις intestinis.

Aloe igitur non corpus totum inanit: sed insidentem stomacho, ventri, † & interaneis bilē citra noxam, cum inhærentibus inibi recremētis, per aluum exigit. Danda est igitur iis, qui capitis adficiuntur molestia propter iuges halitus, quos ad ipsum stomachus eructat. nam inutiliū vaporum suppeditationem rescindit. præbenda quoque iis, qui ob eandem causam oculorū lippitudinibus laborant: necnon iis qui per adscititiū succum, siti cruciantur: & quibus lingua & os facilè resiccantur: tum iis, qui re insuaui, aut retorrido nidore stomachum in vomitione effundente, corripiuntur: & iis quos præter rationem pallor decolorat: aut quibus alui recrementa subductionem desiderant. clysteres tamen ex ipsa subter indi non posse, certò causantur. Datur siciliquus, ex aqua mulsa. trita verò, succoque corticis citri excepta, aut si is non adsit, brassicæ aut absinthii succo, cogitur ĩ catapotia, quæ ciceris magnitudinem impleant.

Alii cum terebinthina, vel decocto melle, vel alio quouis simili digerunt in orbiculos: tu vero, vt rerum copia facultásve suppetet, vel (vt potius

dicam)

dicam) quod commodius vtiliúsque laboráti fo-re putabitur, cum aliis conuenientibus permisce to, & malè valentibus præbeto.

Scammonium, flauam euacuat bilem: sed cordis dolorem mouet. est autem odore graui, gustu iniucundo, siticulosum. siquidem cũ omnia, quæ aluum deiiciunt, medicamenta (aloën excipio) stomacho negocium exhibeant: scammonium stomacho longè plus cæteris aduersari constat: proinde cauendum iis, qui stomachi sentiũt imbecillitatem, & iis qui febrim experiuntur. quippe suapte natura leuissimum, in corpus facilè rapitur, residemque spurcitiam omnem in eo, colluuiémque commouet. porrò ab ambiente caloris externi cinctu, recrementa ad excretionum exitus producere prohibetur. Datur iis qui febri vacant, & stomacho valent: iis quoque, quibus ægrè vomitus eliciuntur, nec facilè linquuntur animo. Modus, scrupuli duo: paululum quid adiici, aut detrahi, pro virium ratione, potest. permiscendus & sal, aut thymus, aut pulegium, aut quippiam ex iis quæ gratum spirant odorem, & stomachum roborant. iis, qui scammonium sustinent, aloën miscere melius est. datur per se ex melle, vel ptisanæ cremore, quibus clàm volumus hãc potionem præbere.

Peplium: huius semen aliqui cum ramularib⁹ surculis siccatũ, cribroq; succussum, quaternûm scrupu-

ſcrupulorum pōduſculo dant, in aqua mulſa, pau xillum aceti aſpergentes. Poſt bilem flauam, atrā quoque, & pituitā detrahit: flatus diſcutit. quapropter turgentibus ſpiritu vitiis, præcipuè auxiliatur: iis quæ melancholiæ iaciunt fundamenta, diuturnis inflationibus lienis, vuluæ & coli ſubuenit †fungoſis in imo vētre tumoribus ſubſidio eſt.

† σομφοῖς οἰδήμασιν .i. χαυνοῖς, mollibus & laxis qua les ſunt fungi.

Veratrum nigrum, atram bilem flauamq́ue è toto trahens corpore, deorſum, nec tamen citra vllam difficultatem pellit: ideo febribus circuitu repetētibus: & longis obiicimus. Datur quoque inſaniētibus altera caluariæ parte & ſubter caput diutine cruciatis commodiſſimum: præſertim viſceribus, vtero, & veſicæ, deiectoriū medicamen poſtulātibus. maxima autem eius vis eſt, peculiariter educere, quicquid ſanguini commixtum, eum corrumpit: ideo veteraſcentibus, arquatis morbis, vtile: & quibus in ſuperficie ſummatim aſperitudines emerſerūt: velut lepris, impetiginibus, & horum ſimilibus. elephātia quoque laborantibus, accommodatum eſt. Datur, ſcrupulorum ternûm pondere, aut paulo plus minúsue: Fit è ſiccis radicum fibris, aqua paulùm maceratis: poſtea cortice detracto, & in vmbra ſiccato: proiectáq; tenui, quę ī ipſa ſubeſt, medulla. exhibetur autem ex paſſo & aceto mulſo: verum ſuauitatis gratia, quædam ex odoratis ſeminibus inſerenda. ſi verò efficaciorem alui deie-

ctionem

ctionem moliri ſit in animo, ſcammonii pauxillum adiicito.

Epithymum, atram bilem excernit: datur adultis, tuſum & cribro excuſſum, ſcrupulorum quinque ponduſculo, cum paſſo vel aceto mulſo & ſalis pauxillo. vitiis flatu turgẽtibus, † & præcordiorum noxis, opitulatur: & quibus iecur aggrauatur, & qui ſpirandi vexantur difficultate: Quod verò ĩ ſtœbe naſcitur, aut ĩ ſatureia, ꝓſilit.

Epithymbrum inde nominatum, thymi modo aluum reſoluit: ſed vtrumque facultate cenſetur infirmius.

Polypodium, id eſt filicula, bilem & præſertim atram, & pituitam extrahit: dantur purgatæ radicis ſeni ſcrupuli, adfuſa aqua mulſa. mediocriter verò aluũ ciet, & citra moleſtiam, tũ in gallinaceo iure, tũ in cremore ptiſanæ, cocta radix.

Pulegium, atram bilem detrahit, inſtar acetabuli potum, ex aqua mulſa. Tragoriganum, & Parthenium (quod & Leucanthemon vocatur) ſimili ratione, citra noxã purgant: ſingula ſenûm ſcrupulorum pondere data: ſed præbere melius eſt ex aceto, & exiguo ſale & aqua. licet ſicca trita, potioni adſpergere.

Armenium, quo pictores vtuntur, atram bilem, & omnẽ lentum craſſúmque humorem ſanguine cõmixtum, educit. quare melancholicis, elephanticis, & ſimilibus dari ſolet: itẽ in renũ vitiis, & ſpirandi difficultate. Modus, ſextula eſt,

† ὑποχονδριακοῖς .i. hypochondriorũ vitio laborãtibus, vel potiꝰ, his qui melãcholia morbo à multis in hypochõdriis flatibus laborant.

aut paulo plus minúsue, pro sumentis viribus.

Centaurium minus, crassam bilem & muccosam deiicit: ideò commode datur lienosis, ischiadicisque: bibitur & huius decoctũ aqua ferue factũ. sit autem cẽtaurii pondus, sex scrupuli: & aquæ modus, hemina: quę ad dimidias coquãtur.

Colocynthis pituitam, bilem, humoremque muccosum purgat: vnde neruosa corpora peculiariter purgat. datur itaque conuenienter in omnibus, quæ caput obsident, incommodis, & orthopnoicis, & consimilibus. item coxendicũ cruciatibus, morbis articularibus, longis renum & vesicæ valetudinibus. insuper iis qui remittentes & præduros conceperunt adfectus, sic vt non nisi ægre possint excuti. Datur ex ea scrupulus. Deligenda est candida eius & recens medulla. aridior enim & nigricans, vt vitiosa damnatur. tundatur vero & teratur diligenter, & persæpe cribro cernatur. cum verò vti voles, terito cum aqua mulsa: idque operose, siquidem tale quippiam pati consueuit, vt tusa priusquàm maceretur, tenuissima maneat: coniecta verò in aquam mulsam, intumescat: ita vt in cerniculo non credatur cribrata. Igitur nonnullæ, ex iis quæ intumuerunt particulis, interdum aut ventri aut stomacho fixe cohærent: maxime in sinuosis interaneorum anfractibus, ob molliciem: insidentesq;, sua perquàm acri natura vellicant, & mordent: intestina exulcerant: & per consensum, neruosum

ſum genus, noxa adficiunt: tormina & contra-ctiones adferunt. quare diligenter eſt attendendum, vt in aqua mulſa in maximum leuorem redigatur. Si mitiorem alui deiectionẽ moliri velimus, prægrandem colocynthida capere conuenit: & aperto ſurſum calice, totum ſemen eximere: dein † lomẽtum omne in ſuum inuolucrum ſine ſemine relegare, & ſapa aut vetere paſſo ventrem eius infarcire, & quinque aut ſex horas macerare: deinde vinum linteo colatum, calfactum detur potandum. Optimè expurgat regium morbum, & flauæ bilis liuores, ſummam cutis ſuperficiem vel ſuggillatus.

† κναφαλλώδης. i. quod refert floccos, & veluti tomentum

Tithymalus, pituitam & bilem elicit. virentes ei⁹ ramulos fictili quodam paulatim torrẽt, tritosque cum polenta ſcrupulorum ternûm põdere miſcent in aqua, & potandum præbent. quippe quod exiccati ſurculi impotentiores habeantur.

Characitæ tithymali, erutam radicem in vmbra ſiccato: poſtea cum ad vſum prometur, detractum corticem tuſumque cribrato: & in vinum dulce vetus, ſextulam inuicito: diẽ & noctem ſinito macerari, percolansque linteo, & paulum excalfaciens vinum, præbeto potandum. quàm optimè purgat, ita vt quidam eo in omnibus vtantur vitiis.

Lac tithymali huius qui iuxta aquas, & in riguis locis enaſcitur, ſale & acido pane exceptũ,

ad eadem valet: vehementius tamen aluum ciet.

Elaterium, pituitam & bilem detrahit. dantur oboli terni, cum lactis nuper emulsi instar heminæ.

Granũ cnidium, serosum magis & aquosum extrahit: pituitam verò & bilem modicè purgat æstuantem, & acerrimum. datur triginta granorum modo. si verò mitius alui deiectionem placeat moliri, dato viginti grana. Interna grani pars trita, & in polentam subacta, præbetur potanda: sed secundum potionem, rosaceum aut melinum oleum debet sorberi, ne fames adurat. cæterùm melius cedet, si trita & cocto melle excepta, digerantur in catapotia.

Agaricum, pituitam & bilem, sed non celeriter, pellit: dantur binæ drachmæ, cum aqua mulsa, vel aceto mulso. aduersatur stomacho, quòd sua lenitate emergens enatet.

Cnici semen, pituitam expurgat, sed non sine molestia. Seminis triti drachmas tres in gallinacei decocti ius, vel ptisanæ cremorem indito, colatumque præstato bibendum. sunt qui seminis pulpam drachmæ pondere cum amygdalis, aniso, & melle cocto misceant: & in catapotia cogant, & arquatis cõmodè præbeant. id quod habetur mitius.

Lathyris, vehementius pituitam purgat: dantur grana eius maiora, quindecim: minora verò, viginti: iis qui efficacius purgari cupiunt, man-

denda

denda præcipito:iis verò,qui deiectionē non desiderāt copiosam,iubendū est, vt integra deuorēt:præsertī,si qui sumit, malo fuerit stomacho.

Aristolochiæ clematidis aridus fructus, si tritus ebibatur,pituitam & bilem expellit. est autem stomacho gratus.

Mercurialis herba,si cū recentibus tenerisq; foliis estur,stercus excernit:si verò decoctū eius, vino permistum ebibatur,mediocriter alui recrementum mouet.

Cucumeris syluestris radicis cortex,ex aqua mulsa potus, abundè & citra noxam trahit pituitam,neque stomachum vlla lacessit iniuria.

Styrax pinguis & flauus,sesquidrachmæ pondusculo cum terebinthina, pituitam sufficientem sine molestia subducit.

Thymi siciliqu9,aut ternæ quaternæue drachmæ,cum posca & pauco sale,innoxiæ satisq; pituitam & bilem educit.

Ciclaminis radicis, in tenuissimum leuorem redactæ tres vel quatuor drachmæ pro corporis purgandi viribus,ex aqua mulsa potæ, pituitam & bilem expurgant:sed præcipuè sudorem ciēt. quare bibentem oportet motibus agitari, & tegumento corpus munire,& sudoris excretioni se committere.

Aliis spicarū exquisitè tritarum drachmæ vel duæ vel tres, cum hydromelite potæ, pituitam exigunt. Aiuga(græcis Chamæpitys nominata)

si pondo siciliqui, in farinam redacta, bibatur cũ ficis, aut cocto melle, pituitam & bilem ducit.

Squamma æris, aquam aluo elicit. datur ex aqua mulsa: verum non aquam modò, sed & pituitam purgat.

Euphorbium, pituitam subducit, sed potius aquam. est autem celerrimum, & maximè ignea vi flagrans: vnde colicis, & aluum frigidiorẽ habentibus datur: cæteros vehementer conturbat: sitim maximè ciet. nonnihil ex odoratis seminibus ei est commiscendum. Modus triobolaris, ex aqua mulsa. prestat autem cum melle cocto in catapotia digerere.

Chamælea, in aqua mulsa decocta & pota, aquosa magis extrahit: pituitam quoq;, & bilem euacuat, iniici debet denarii põdo in binas aquę heminas, & coqui dum modi huius dimidium fuerit absumptum: in coctionis fine moderatum mel adiiciendum: & rursum vbi paulũ inferbuerit, colo transfusum, præstatur potandum.

Sunt qui ad tusæ tritæque chameleæ drachmam vnam, duplum absinthii modum adiiciãt: & melle excipientes cocto, & in catapotia cogẽtes, præbeant.

Sanguinem tradunt purgari porrorum capitatorum succo: item mercuriali viola cãdida, syluestri malua, saluia. cum iis veratrum album, sanguinem & bilem expiat.

De pur-

De purgantibus medicamentis compositis.

VErum quandoquidem nonnulli hæc & cætera inconsideranter vsurpant medicamina, à quibus deiectio petenda est (interdum dolores, aut conuulsiones, aut superuacuas alui purgationes, aut quampiam non dissimilem offensam moliuntur, subindéque noxam iuuamenti loco inferunt) non hæc ignorare de iis oportet, quod non omnes amice, eadē medicamenta con simili sensu percipiunt: sed alii quidem ob eam quam induit corpus sensuū duritiam, præpotētiora vix sentiunt medicamenta: alii rursus vel quæuis sensu præcipiunt. quemadmodum alii propter fluxam lubricámque meatuum natiuam inanitatem, aut cędentis materiæ promptitudinem, & instrumētorum molliciem, mediocribus purgatoriis parent. qui verò non sunt talem conditionem nacti, vehementiori purgatione vix tandē sollicitantur. illis quidem prioribus, hæc euenire solent incommoda: immodicę ventris deiectiones, conuulsiones, contractiones, perfrictiones: cæterum animi deliquia, dolores, tormina, vertigines, exanimationes, quæ ferè mortem repræsentent, hos secundos sequuntur: proportione autem patiuntur, qui moderatè repurgantur. Denique non à potentioribus, sed à mitioribus, in omnibus quæ adsumuntur, medicamentis vsum decet auspicari; simul vt laborantis sensus exploretur,

ſimul vt vehemẽtiora tolerare, exercitante vſu, condiſcat: & ſi quando validioribus oporteat vti, ne vires labefactent intolerabiliũ medicamentorum tranſitus. Paucis igitur ſuper hæc traditis via ac ratione doctrinæ, de purgationibus deinceps diſſeremus.

De flaua bile repurganda.

VBi itaque flaua bilis deiicienda nobis proponitur, ſi incandeſcat ipſa, & hominem exurat, & calefacientia reſpuat medicamina, tale quid facere ſolemus: zulapium ante purgationẽ præbetur diluculo ieiunis, donec in vrinis decens adparuerit concoctio. Seminis cucumerũ quadrans: ſeminum portulacæ, ſeminis intubi, radicum intubi & cichorii, ſingulorum vncia: roſarum, violarum, nymphęæ, œnanthę, ſingulorum ſemiuncia: ſeminis papaueris, ſeminis lactucæ, ſingulorum duella: damaſcena pruna quinque & triginta: zizipha, myxa, ſingula quinque & quadraginta: ſantali ſextula, ſacharis põdo duo. hoc bilis feruorem reſtinguit, emollit interanea, & infarctos expedit tranſitus. adiecto verò ſcammonio, ſine moleſtia bilem educit. Si verò non ita incandeſcat bilis, ex iis zulapium conſtruitur: Radicum apii & maratri, cichorii, fumariæ, radicum intubi ſylueſtris, ſingulorum vncia: linguæ bubulæ, eupatorii, bubuli oculi, quem vocant buphthalmon, dulcis radicis, ſeminis althææ, ſingulorum ſextulæ quinq;: violarum, ſe-

minum

minum portulacæ & intubi, ſingulorũ ſemiuncia: ſantali rubri & citrini, ſingulorum duella: roſarum, nymphææ, & croci, ſingulorum ſextula: ſacharis libræ duæ.

De pituitæ purgatione.

CVm pituitam vacuare voluerimus, ſi homo florente ætate ſit, & ferè calida præditus tẽperatura, atque ideò ob erroneã victus rationẽ, & frigidorum abuſum, pituitam collegerit, hoc facimus medicamentum: & quidem maxime, niſi ſtomachus humore ſcateat, radicibus quæ mouendæ vrinæ ſunt, acceptis, ſic componentes: Radicum apii & fœniculi, radicis condimẽtariæ, quæ ex agris ad ſalgama petitur (condimentorhizam græcolatine vocant) radicis anethi, triſaginis, aiugæ, centaurii, althææ ſeminis & maluæ, ſecuridacæ, ſingulorum vnciam: maſtiches, aſari, ſpicæ, ſingulorum ſemiunciam: carnabadii, ſeminis fœniculi, ſeminis apii, dulcis aniſi, ſingulorum ſextulas quatuor, mellis dupondium. longe melius fuerit, ea melle condire: vt calorem ſufficienter aſſecuti, craſſitiem magis extenuemus, & ab infarctus vicio implicitos aſſeramus tranſitus.

Si frigida fuerit omnino laborãtis habitudo, corpuſque totum humidis ac frigidis ſcateat ſuccis, melius vti ſicco dioſpolitico, vel quopiã con ſimili medicamine, quod ſatis calfaciat, & humoris vim ac copiam reſiccet.

Deiectio

Deiectio atræ bilis.

CVm deiectionem atræ bibis à medicamento petimus, præsertim si persicca videatur laborantis natura, accipimus radicum apii, radicum erratici fœniculi, fumariæ, stœchadis, linguæ bubulæ, buphthalmi seu bubuli oculi, singulorum vnciam, seminis dauci vel ammæi, dulcis anisi, seminis fœniculi, singulorum sextulas tres: ficorum pinguium, radicis dulcis, singulorum sextulas quinque: seminis basilici duellam: croci sextulam: asplenii, trisaginis, radicis capparis, seminis apii, singulorum sextulas quinq;: mellis dupondium, aceti quadrantem. Porrò si qua bilis flaua putetur atræ commisceri, sic erit faciũdum; Spicæ, rosarum, singulorum vnciam: croci drachmam: corticis radicis apii & fœniculi, singulorum vnciam, cum eorũ seminibus in aqua, donec sufficiat, feruefacito: mellis selibram, aceti quadrantem addito: & dum concrementum adsciuerint, coquito.

De coniunctis humoribus purgandis præcepta.

POsteaquam de simplicibus humoribus, abundè diximus: tibi licebit, hinc occasionem ducenti, in complicitis & ea componere. exuperantiæ verò commistorum humorum, te docebunt, qualia conueniat redundare medicamenta. Proinde superesset iam de purgantibus disserere, quæ maiores nostri composuerunt: à quibus & tu & alius quiuis exortus, cognitis simplicium

plicium viribus, medicamenta tuopte ingenio componas.

Commiſcentur vero purgantibus medicamentis, alia, vt iniucunditatem retundant: quædam, vt calorem vel reliquam quandam qualitatem aboleant: nonnulla quoque, vt ſtomachum firment. quod pleraque omnia, quæ repurgant medicamenta, ſtomacho aduerſantur, & eidem negocium faceſſunt. Alia adiiciuntur, vt viam faciant, & tranſitum præbeant: item vt humorum craſſitudinem incidant. Ea tamen ipſe tuo fretus ingenio, diſces ex particulari ſpecierum facultate, quæ in viribus medicamentorum ſimplicium traduntur. Cæterum nos purgantia veterum medicamina hinc depromemus, exponentes quónam pacto componantur, & quos eliciant humores: tu verò hinc ſumens occaſionẽ, & fac & componito, quibus opus erit ad hanc rationem medicamenta. Dignum tamen & ſcitu illud eſt, quædam in grana cogi, quæ ciceris magnitudinem impleant: qua forma ideò præbemus, vt medicamentorum inſuauitatem fallamus: & ne cum ſumuntur, humorem ſtomacho adiiciamus, qui nimio iam imbutus eſt humore, Quædam redigi in trituram, non ad cælandam iniucunditatem, ſed vt humorem vitemus. Alia in placentarum formas digerimus: velut & alia, vt zulapia prębemus. Nõ deſunt, quæ tanquã illitꝰ vel emplaſtra fingãtur, & vmbilico indu-

inducantur, quæ græci Epomphalia vocant, nos vmbilicaria possumus adpellare. Interdum pedes quoque illinimus, & sufficiens elicitur purgatio.

Iam de singulis nobis erit differendum, vt ex omnibus libro maior adsciscatur perfectio. Cõpositio orbiculorum ex euphorbio, quos ipsi Coccia, quasi granula vocant, ad emittendam hydropicorum flauam aquam, & materiam tumoris discutiẽdam valent. opem adferunt quoque lumborum doloribus, & podagræ humida causa concitatæ. Recipit mistura, euphorbii siciliquum, surculorum tithymali drachmam: ammoniaci, sagapeni, lachrymæ panacis, bdellii, seminis apii montani & hortensis, ammei, spicæ, singulorum drachmam: tusa cribratáque, cum amygdalino oleo cogito, & cũ fœniculi suc co subacta, siccato in vmbra. Modus exhibitionis est drachma: perfectus sextula, cum calida aqua.

Aliud, quod flauam aquam deiicit, tumorem reprimit, iecur roborat: Capit absinthii, turpeti (quod pityusa nominatur) sagapeni, singulorum drachmas quinq;: seminis apii hortensis & mõtani, seminis fœniculi, anisi, singulorum siciliquum: scammonii, & surculorum lactucæ marinæ (quam nominant tithymalum) masticheS, casiæ, tenuis cinamomi, singulorũ drachmã: tũdi dito, cribrato, & formato in granales orbiculos,

(coccia

(coccia nominant.) Potionis modus, duella, cũ aqua egelida.

Aliud, quod flauam bilem & atram humorésque crudos deiicit, sanguinem extenuat: & quot dies ventrem subegerit, totidem feriari decet, rursũmq; medicamen repetere, dum integra sequatur deiectio. Accipit myrobalani flaui & indici, nigri damasonii, & aureæ glandis, quam vocant chrysobalanum, pityusæ, singulorum sesquiscrupulum: epithymi cretensis, filiculæ, violarum, singulorum drachmas tres: rosarum, seminis fœniculi, anisi, absinthii seminis, iunci odorati, cinamomi, spicæ, masticches, cardamomi, ammoniaci, singulorum drachmam sesquiscrupulum: sacharis sescunciam: tundito, cribróq; creta in vase contineto. potionis modus, drachmæ tres, aut quatuor. datur ambulanti, ex aqua egelida.

Oxosachar, calefacta corpora potu refrigerat: acutis auxiliatur febribus, sanguinis feruore concitatis: excalfactioni iocineris medetur, & lienis infarctus vicia extricat. Recipit corticis radicis capparis, intubi, apii, singulorũ drachmas viginti: foliorum rosæ, seminis fœniculi, singulorum drachmas decem: spicæ, iunci odorati, seminis apii, singulorum drachmas quinq;, hæc in aceti quàm acerrimi quaternis libris macerato noctu diúq;: postea molliusculo igni coquito, donec dimidium absumatur. dein crocum & sa-

& fachar adiiciens, zulapium efficito. inter coquendum, fcammonii fextulam terito, & in linteo ligatum indito, dum feruore reftinguatur. datur fextans, cum obferuatione κὴ ἐγκέμας.

Aliud, ex fumaria, quod valet aduerfum flauæ bilis incendium: item contra fcabiem, & vulnera: obturantes iocineris infarctus explicat: arquato morbo, corpus repurgans, auxilio eft. Continet corticum myrobalani flaui & cebulei & indici damafonii, bellizis, & emblezis, florum violarum, filiculæ, & abfinthii, epithymi, fingulorum fextantem: ea confringantur, & aqua fumariæ, noctu diúque madefcant, & tantifper coquantur, dum medietas relinquatur. Deinde ius decocti percoletur, & rurfum cũ fachare, quoufque concreuerit, coquatur. potionis modus, fextans, cum fcammonii granulis quatuor.

Aliud è fumaria, melancholicis valetudinibus auxiliatur: fcabiem & vulnera abolet, & corpus illuftrat. Capit violarum, feminis abfinthii, polii, fing. fextantem femiunciã: aquæ calidæ libras octo: cõtufa, & noctu diuq; macerata, ad tertias coquito, huius decocti & aquæ fumariæ confidentis, feptenis portionibus, facharis parem mo dum indito, & coquito, dum fibi concrementũ adfcifcat. potionis modus, fextans, cum fcammo nio & aqua calida.

Alia compofitio decocti ventrem refoluentis, iocinoris

iocinoris dolori auxilio est:flauam bilem atrámque,item pituitam extrahit : caput repurgat autumno & vere propinata. Sumit damascena, zyzypha,myxaria,singula triginta: adianthi, florũ linguæ bubulæ, singulorum manus plenæ fasciculum:violarum vnciam,rosarum siciliquũ:dulcis radicis,filiculæ,epithymi, singulorum drachmas tres:corticum radicis apii,fœniculi & intubi,singulorum vnciam : in vna aquæ libra ad tertias coquito:deinde farinę myrobalani flaui vnciam imponito , myrobalani cebulei drachmas quinque , noctem diémque macerato : & diluculo ius decocti calfactum, sacculis trasfundito, in quo mannæ harundinis indicæ drachmas octo, oxyphœnici sescunciam, mannæ simplicis drachmas sex,maceres : rursúmq; his per sacculos transfusis, adiicito vnguenti nardi vnciam, & tepefaciens exhibeto.

Altera mistura, vere & autumno datur contra febres acutas. Continet zyzypha rubra, damascena, passas vuas ab iconio numero singulorum viginti : violarum sescunciam, adianthi, fumariæ, florum linguæ bubulæ, intubi satiui, singulorum fasciculum , quantus manu prendi possit: passarum vuarum , detractis vinaceis, vnciam : ea feruefacito in aquæ sesquilibra, donec ex hoc modo dimidium supersit:postea subigito, & sacculis aut fiscis transfundito . cui liquori deinde palmularum acidarum , quas vocant

cant oxyphœnicas, ſeſcunciam : harundinis indicæ, aut ſiliquæ indicæ repurgatæ, vnciam : mannæ drachmas ſex.: rurſúmque ſubacta, percolato, & excalfaciens modice, adiicito zulapii violarum ſextantem : & diluculo bibendum præbeto.

Orbiculi (qui quod coccineum granum magnitudine æquent, coccia nominantur) è ſagapeno, valent aduerſus morbos articulorum & coxendicum, turgentibus ſpiritu neruis auxiliãtur, omnémq; valetudinem aduerſam, à recrementis frigidis craſsiſque concitatam abigunt. Capiunt ſagapeni, myrobalani cepulei, pityuſæ, hermodactylorum, ſingu. drachmas quinq;: ſcãmonii, caſtorii, capſici, ſingul. ſeſquiſcrupulum: balſami, calaminthæ, (quod ſiſymbriũ dicitur) ſolani manici ſeminis, ſingulorum vnciam: tuſa, cretáque, cũ aqua apii ſubigito . modus eſt, ſextula ex aqua, in qua apium, maſtiche, aniſum & ſtœchas incocta ſint.

Cocci, pedum doloribus omni tempore perquàm vtiles: Recipiunt aloæ concrementum iocinoris referentis, penidiorum, ſingulorum drachmas decem: ſegapeni, myrobalani flaui & damaſonii, hermodactyli, ſingulorum drachmas quinque : piperis communis, piperis longi, ſingulorum ſiciliquum ſeſquiſcrupulum: lachrymę cyrenaicę, opopanacis, ſingulorum drachmam: naſturtii candidi & capſici indici, ſingulorum

drachmam:

drachmam : ea tuſa cretáque ſucco porrorum vt fermẽteſcant,excipito : & in orbiculares coccos digerito.modus dandi ſiciliquus.

Aliud ad pedum dolores regium . Continet myrobalani flaui,damaſonii,emblizis,zingiberis,ſingulorum ſextulas quatuor : origani ſextulas ſeptem,capſici duellam,hermodactyli candidi ſextulas viginti,penidiorum duellam : bdellii ſextulas quindecim:tuſa cribratáque cum ſolani ſucco ſubigito,vt fermenteſcant: & in coccos orbiculares digerito: & ſimulatq; ægrotans dolorẽ perſentiſcit,ante vel poſt eſum,adſumit duellam ex aqua calida vel vino.

Zulapium, flauam bilem & atram deiiciens, habet damaſcena, myxa, zyzypha, ſingula numero ſexaginta:palmularum pulparũ drachmas quadraginta:violarum è myſia drachmas quindecim:roſarum,florum linguæ bubulæ,ſingulorum drachmas quinque : ea coquuntur in aquæ libris octo, dum ex hoc modo dimidium ſuperſit:ſubactáq;,fiſco transfundũtur: deinde fumariæ iuſculi dupondius,punicorum acidorum iuris libræ duæ,ſcammonii ſeſquiſextula, ſacharis libræ tres,diu ad conſiſtentiam coquuntur. ſcãmonium in decoctionis fine coniicitur.

Aliud , quod flauam bilem à ſtomacho detrahit : Tortiui punicorum & acidorum malorum iuris , ſingulorum dupondium : aquæ libram , flores violarum quadraginta : ad dimi-

dias coquito,postea sacharis sesquilibram,scam monii siciliquum addito, & zulapium facito. modus,vncia aut sextans.

Parua triphera, dicta, prodest interaneorum doloribus ac stomachi, imbecillitatíque eiusdẽ ab humore contractæ: sanitatem tuetur: estque ad multa alia perquàm vtilis: Corticum myrobalanorum,cebulei,& huius vice, si velis,indici & bellelizis, & embelezis, singulorum partem vnam: tusa & cribrata,misceto cum rosaceo oleo, & cum melle despumato:conditũ seruato. potionis modus, duella, ad tres vsque sextulas, ex egelida aqua. Qui voluerit perfectè interaneorum vtilitati cõsulere, vt ea à noxis deiectionum asserat, & ab iniuriis earundem vindicet, bdellii cęsij portionem addat. Si sanguine vacuando auxilium adferre placet, gũmis torrefactæ partem adiicias. Cæterùm ad commoditatem imbecilli stomachi, & infernarum partium correctionem, rosarum & mastiches portionem vnam: anisi & garyophyllorum dimidiatas portiones adiunges: contra cordis micationes, & vibratus, xylaloën admiscebis. aduersus sinistram valetudinem,quam atra bilis creauit,pars epithymi adponitur. Si pituitæ deiectionem moliri instituis, alipum,id est,album turpetum adhibeas. aduersus flatuum turgentium molem, cruditatésque, vt ineant consortium, adhibeto zingiberis & galangæ singulas portiones: item

sitezium

sitezium indicum, capsicum, piper longum, tenue cinamomum, singula instar dimidiæ portionis, & cõmodum reddetur. Non desunt medici, qui vt venustiorem exhibeant colorem, crocum adiiciant.

Hiera picra Galeni, quæ ex aloë fieri consueuit, contra iliosos, putres, marcidósque humores, qui os ventriculi insederunt, remedio est. item iis quorum faciem pallor decolorauit: iis quoque quorum oculis obiectæ culicum aut pilorum imagines obuersantur: alui recrementa mediocriter mouet, ad iecur vsque progrediẽs. lædit hos, quibus iecur calidius exhibet negocium, & stomachum iuuat. Dandi modus, à drachma ad siciliquum. Species, quæ hanc cõstituunt, sunt hę. Croci, spicæ, ligni balsami, mastiches, ligni casiæ, cinamomi, singulorum sextula: aloe sextulæ octodecim. ea teruntur, & in brassicæ vel absinthii succo vel vino, vt fermentescant, subiguntur. Huic scammonium commiscentes, vt in vnitatem coeant, bilem flauam aluo deiicimus. Si verò agaricum & medullam, pituitam subducimus, nõ secus atque si addiderimus epithymum, atram bilem depurgamus. Sunt qui vt stomacho medicamentum ex aloe reddant accommodatius, & minus aluum cieat, aloen dupla ad species omnium proportione coniiciant, tritámque prius eluant, & in aquam mittentes, subsidere sinant: dein emergentem

summatim aquam cum ea quæ supernatat spurcitia vel sorde, quæ existit humori, effundũt: hoc idem opus iterum atq; iterum obeunt. vbi sufficienter lauerint, cõfidunt stomacho paratum iri medicamẽtum: nec interanea vellicare, inter eos conuenit: dein reliquas, quas diximus, admiscẽt species. sic vtile reddi imbecillis stomachis medicamen, author est Galenus.

Dioclis medicamentum, quod ventrem subducit, in pituitosiore corporis habitu: Ficos pingues triginta, spumæ nitri drachmas quatuor & quadragĩta. seminis cnici drachmas quindecim: diligenter trita, & in vnitatem cum melle despumato coacta, digeres in frusta trigĩta. sumes quotidiè ante cibatum, frustum vnum.

Catapotia Diacolocynthidos, id est è colocynthide, recipiunt aloës vnciã, medullæ colocynthidis vnciam, gummis vnciam, nitri semiunciam. semper eo vtitor medicamine, quoties purgare bilem atram animus fuerit: aut cum pituitam per aluum elicere placet. quippe nihil æquè potest humores, qui intus coierunt, transferre, & neruos & caput ægrotantis repurgare, sicut horum catapotiorum mistura. ab vno ad sex vsque, pro laborantis viribus sumpsisse satis est. ad perfectum dandi modum progredi nõ oportet: sed à duobus aut tribus sumptionem auspicari, & sic procedere.

Rhodomeli purgans: Succi rosarũ libræ tres,

vel

vel quinq;:ſcãmonii ſextans,ſemiuncia aut quadrans:agarici ſextans:mellis libræ ſex, miſcetur. hæc mixtura flauam bilem trahit:ſtomachũ bene habet. Quin & pituitam mediocriter pellit.

Ferueſactũ ius (magnũ vocãt Apozema) aduerſum atræ bilis,mentis arcem obſidentis iniurias.Capit hyſſopi,epithymi, ſingulorũ ſextantem:myrobalana flaua ſeptem, nucis vnguentariæ(quam myriſticam adpellãt) duellam : veratri,pæoniæ,ſcammonii,triſaginis,polii,ſingulorum quadrantem:ammis,nardi celticæ,aſari,caſtorii,agarici,ſeminis fœniculi,hyperici,centaurii,pulegii,ſerpilli,cunilæ gallinaceæ (quam nominant origanum) ſingulorum ſextantem:libyſtici vnciam : calami odorati ſextulas quatuor: filiculæ , alipi , nepetæ (quam calaminthen nominant) ſingulorum trientem:medullæ ſelibrã: peplii tantundem.

Antidotum Sungeli, doloribus capitis, item hebetudini oculorum auxiliatur , fronti illitum: ſtomachicis, iocineroſis,lienoſis,cruciatibus colicis , opitulatur : articularibus morbis , & pedum doloribus,remedio eſt : appetentiam inuitat : exanimes & decoloratos recreat: vernaculã venuſtatem membris reddit, meraco aut ſyncero melle dilutum.Dandi modus,auellanæ nucis eſt magnitudo.iis quorum alui deiectionem volumus moliri,drachmam vnam aut quantum vires poſtulabũt,dediſſe ſatis eſt : muliebribus vi-

ciis, in omni tempore, & ante cibatus & secundum esum, propinatur. Constat iis speciebus: Piperis longi, piperis albi, piperis communis, cinamomi, xylocinamomi, filiculæ, nucum odoratarum, garyophyllorum, singulorũ sextãte: zingiberis triente: spicę, mastiches, floris rorismarini, seminis alypiæ, scãmonii, singulorum vncia: sacharis dextante, & mellis modo quantus facere satis videbitur.

Aceti mulsi purgantis mistura, oxomeli nominant, contra melancholicos: Hyssopi, thymi, epithymi, agarici, filiculæ, cunilæ gallinaceæ, pulegii, cumini, anisi, radicum apii, singulorum fasciculi, qui manu prendi possint: interdiu noctúque in aceto madent, & perbelle coquuntur: dein eiectis herbis, acetum cum pari melle iunctum concoquitur, dum in vnum coeat corpus: demũ scammonii pondo sextans immittitur. Modus potionis, duella, aut pro viribus.

Hiera Galeni aduersus maxima & deterrima vitia auxilium adfert: humores, qui altius impacti, ægrè reuelluntur, extrahit: natiuas & vernaculas vires recolligit & reuocat: omnes expurgat humores. Quod si quid aliorum placeat purgare, admiscebimus ipsi potus modo, deiiciens simplex medicamen aliquod moderatum, & eliciemus eum, quem desideramus, humorem. Melancholicis, comitialibus, auxilio est: sed infarctos antea meatus aperire diligenter con-

ter conuenit, & concoctionem humorum moliri. Recipit autem colocynthidis trientem, scyllæ assæ sextantem, spicæ sextulas quatuor, iunci odorati sextulas quatuor, polii sextulas quatuor vel nouem, pulegii sextulas quatuor, aiugæ sextulas quatuor aut nouem, euphorbii sextulas tres aut decē, gentianæ sextulas octo vel tres, agarici sextantem aut quadrantem: ammoniaci vnciam aut quadrantem, veratri nigri sextātem aut quadrantem, spicæ vnciam aut quadrantem, scammonii quadrantem, hyperici vnciam vel quadrātem, epithymi vncias duas semissem aut sextantem, filiculæ vncias duas semissem vel sextātem, bdellii sescūciam, aloę sescunciam, trisaginis vnciam vnā vel quadrantem, myrrhæ sextulas tres, casiæ sescunciam, porri sextantem semiunciam, trium piperum singulorū sextulas duas aut quatuor, sagapeni sextulas tres aut quatuor, croci sextulas duas aut tres, aristolochiæ longæ & rotundæ singulorum sextulas tres aut quatuor, cinamomi sextulas tres aut quatuor, lachrymæ panacis sextulas tres aut quatuor, castorii sextulas quatuor aut tres, petroselini sextulas tres aut quatuor, zingiberis trientem, mellis despumati quantum esse satis videbitur, passi vel vini dulcis quantum ad macerandas lachrymas & succos sufficiet.

Ruffi Ephesii hiera, pituitosos & crassos humores expurgans: Habet trisaginis dextantem:

colocynthidis,ſagapeni,caſiæ,filiculę,ſingulorũ beſſem:petroſelini,piperis albi, ſingulorum ſelibram aut dodrantem:ariſtolochię quincuncem: cinamomi,croci,agarici,polii, nardi ſpicæ,myrrhæ,ſingulorum trientẽ:lachrymæ panacis quadrantem ſemiunciam: mellis deſpumati, quantũ eſſe ſatis viſum fuerit.

Logadii hiera, plus cæteris atram expellit bilem: Myrrhæ, ſpicæ, ſcyllæ torrefactæ, euphorbii,ammoniaci,bdellii, zingiberis,aloę,ſtœchadis,hyperici, triſaginis, ſingulorum vncia : epithymi ſextans , cinamomi quadrans, veratri nigri ſeſcuncia,petroſelini ſextulæ quatuor ſcrupuli duo:amomi,folii indici,caſię,piperis vulgaris, piperis albi,piperis longi,caſtorii,lachrymę panacis,medullæ,ſagapeni,ſingulorum ſemiuncia: ariſtolochię ſextula:mellis modus,qui tibi videbitur ſufficere.

Emphyti hiera,caput,aures & oculos perpurgat:abſceſſus ſtomachi diſcutit: auxiliatur comitialibus, qui ſubitò concidunt,& ore ſpumã cõmouent,& linguam mãdunt: ita vt quiſpiam ſic adfectos à dęmone occupari arbitretur: cholericis,elephantia laborantibus, cum principia morbi ſentiuntur , data ſubuenit : feris impetiginibus,ſiue lichenibus,qui corpus depaſcunt,lethargicis, & iis qui inuiti vel vrinam , vel alui recrementa emittunt,ſuccurrit.iis qui medicamentũ exitiale hauſerunt,auxiliatur: prodeſt hepaticis, lieno-

lienosis, laterum vitio conflictatis, & cardiacis: menses fœminis subducit: ischiadicis & lumbagini auxilium præstat: omnibus denique aduersis valetudinibus longis medetur. Datur bis mẽse, vel ter. sumitur ex aqua mulsa, ciceris magnitudine. Cæterùm cum ipse alicuius humoris deiectione aluum solicitare voles, hoc familiare, & vernaculum medicamen, potius quàm reliqua sumito. perfectus modus potionis antidoti, siciliquus, aut ternæ drachmæ. Species, quibus mixtura cõstat, sic habent: Agarici, folii indici, ammoniaci, veratri nigri, scyllæ tostę, scammonii, piperis atri, sing. grana quinque: thymi, aloę, polii, casiæ, trisaginis, hyperici, bdellii, marrubii, epithymi, euphorbii, filiculę, singulorũ grana quatuor: piperis albi, castorii, aristolochiæ longę, cinamomi, zingiberis, petroselini, singulorũ grana duo. piperis longi, sagapeni, croci, singulorum grana duo cum dimidio: medullæ grana decem: mellis, quantum fuerit satis.

Compositio è damascenis prunis, pituitam & bilem aluo detrahens: Carnium damascenorum, dupõdius: mellis despumati librę duę, tithymalli quadrans, scammonii vncia.

Orbiculi stomachici: dolorem mitigant, viscera roborãt, stomachum firmãt, caluariam repurgant: & si defluxio ad oculos decubuit, auxiliantur. dantur, & hemicranicis, qui mediæ caluariæ doloribus vrgentur: item vertiginosis, & qui-

quibus aures insonant. Mirum in modum commendantur omni tempore sumpti antequàm cibo indulgeatur, septem globuli: & prãsis & cœnatis, quinque. Accipe ex æquo, nucis odoratæ, spicæ, croci, xylaloæ, galangæ, caculæ, amomi, cinamomi, zingiberis, garyophyllorum, zeduaris, carpesii (cubebe barbari vocãt,) maceris, singulorum sesquidrachmam: radicis ponticæ (quã rheon vocant ponticum) pondus par omnium specierum: aloæ pondus omnium æquale. Ea trita, cum vino albo subigũntur, & in globulos digeruntur.

Catapotia ex armeniaco lapide: Hieræ amaræ semiuncia, epithymi semiuncia, agarici drachmę quatuor, armeniaci lapidis semiuncia, scammonii vncia, garyophyllorum grana octo. Trita, excipiuntur citriorum succo, aut rosaceo melle, vel rhodomelle. modus est siciliquus. ea catapotia stomachum roborant, & cùm varios extrahant humores, tum maximè terrestrem ac atra refertum bile. Cæterùm lapis is armenius, vti suprà diximus, & potus, & catapotio deuoratus, citra molestiam deiectionem alui mouet, neque vllius strangulationis timor subest: neque deliquium animi sequetur, quæ ferè in purgationibus ex albo veratro accidere consueuerunt: reliqua victus ratio omnibus boni succi cibis, & qui facilè coquantur, & vires recreent, constare debet. sic enim huius deiectionis munere freti,

& hanc

& hanc viuendi legem secuti, quæ facilis materiæ cibos ministret, sese recolligent, & viribus firmatis, poterunt furiosum insaniæ morbum tristemque depellere. quod si quid reliqui fuerit, & adhuc mens labet, nec ad se plane laborans redierit, danda erunt per libera furiosorũ interualla, remedia, quæ morbi reliquias digerant, donec apud se fuerint.

Vini purgatorii mistura. Scammonii, casiæ, singulorum vncia: vini sextarii quinque: Species tritæ in linteolum demittantur, & districtus exactè pannus in vino pendeat: & quinque diebus macerari sinatur. dein ex vino, antequam capiatur cibus, cum aqua calida propinato. hoc bilem deiicere creditum est. Si pituitæ deiectionem libeat moliri, scammonii vice purgatarum lathyridis pilularum vnciam coniicies, & spicarũ nardi drachmas tres. Si atros succos exigere per aluum velis, inseres filiculæ (quam vocant polypodium) vnciam.

Oenomeli, alui recrementa excernens: Vini sextarii quinq; , mellis sextarius vnus, mastiches quadrans: mastiche trita, & linteolo deligata, appenditur, & in mulso septem dies sinitur macerari. Datur & ante cibos nonnihil lupini, in farinã moliti, vtpote quod alui recrementa moueat, stomachum firmet, & pituitam exinaniat. Bilem si placet elicere, scammonii vnciam, spicæ nardi drachmam: si pituitam, seminis cnici corticibus

suis

ſuis caſtrati, trientem: caſiæ nigræ vel ſiliculæ quadrantem immittis.

Abſintitis vini miſtura, flatus diſcutit, excrem͂eta ventris exinanit: Libyſtici, abſinthii, ſeſcũcia: cumini drachma, nardi ſpicæ ſiciliquus, iunci odorati floris drachmæ ſex, vini ſextarii quinque, mellis ſextarius vnus. Ea tunduntur, teruntur, cern͂utur, & cum melle ſubacta vino excipiuntur: poſt dies quinque, eo vtitor ante prandiũ. Cæterùm, vt hoc flauam bilem ſubducat, ſic cõſtrues: Coſti, maſtiches, ſingulorum drachmas quatuor, roſarum aridarum, drachmas duas: nardi ſpicatæ, drachmas duas: florum iunci odorati, pilularum lathyridis, ſingulorum drachmam: aloę vnciam, ſcammonii vnciam, mellis ſextariũ, vini ſextarios quinq;, miſceto. Porrò pituitoſis, maſtiches, coſti, ſingulorum ſemiunciam: florum ſpicatæ nardi drachmam vnam, aut vnciam: florum iunci odorati, pilularum lathyridis, ſingulorum vnciam: vini ſextarios quinque, mellis ſextarium inſerito.

Atra bile redundantibus, maſtiches, coſti, ſingulorum ſemiunciam, foliorum ſpicatæ nardi, caſiæ, ſingulorum drachmam: mellis ſextarium: vini ſextarios quinque.

Roſatum vinum, flauæ bilis eductorium, Foliorum roſarum exunguiculatarum recentiũque libra, vini ſextarii ſex, mellis ſextarius vnus. Roſæ pridie marceſcentes, in vinum demittuntur,

& diem macerantur: deinde vinum colis transfusum, melli cum scammonio protrito adiicitur: & sic cum melle teritur, vrna diligenter operculata, in frigido aquæ lacu septem aut octo dies appenditur: & deinde extractum, triginta dies quiescere patiaris: & sic prælibatu vtendum. Si quis in vicem scãmonii, cocci gnidii vnciam sufficeret, serosum humorem & pituitam egereret.

Si verò sine scammonio lathyridem solam indas, pituitam abiges. Si epithymum, atram bilem exiges.

Fusca ventrem emolliens. Continet cumini quadrantem: hyssopi, ammæi, pulegii, singulorũ sescunciam: apii, corymborum thymi, singulorũ drachmas quatuor: zingiberis, seminis cnici, singulorum vnciam: piperis, epithymi, singulorum semiunciam: salis cappadocici dodrantẽ. Ea contusa, cribrato, & farinam recondito: & cum ad vsus vẽtum erit, ligulam vnam ex posca mistam præbeto.

Ius aluum astrictã emolliens: Aquæ sextarius, olei hemina, gari paulum, mediocris salis mod⁹, aneti pauxillum: confunduntur, dum in vnum omnia redigãtur succum: deinde cnici granorum quinquaginta pulpam interiorem addito, vt pituitã educas. Si autem filiculæ tritæ, & in cerniculo cretæ semiunciam, insculo perdicis, gallinę, aut phasiani insparseris, atram subduces bilem. Scammonium verò non censeo iuribus inferendum:

dum: quòd experientia compertum est, id cum ipsis conciliari non posse.

Oleæ purgatrices. Piperis drachma, epithymi siciliquus, laseris drachma, menthæ viridis drachma, pulegii drachma, cumini drachma, ruthæ drachma, scammonii drachma, pinguis palmulæ vncia, mellis sextarius, aceti hemina, oliuæ à muria extractæ, centum & viginti. omnia hæc sigillatim, minutissimè leuigantur: & cum aceto mulso, vt in vnitatem coeant, subiguntur: postea quotidie tres oliuæ in hanc mistura demittuntur, paucisque merguntur diebus. cum ventum erit ad vsus, tres in cibo præbentur: & iuris huius hemina vna aut altera vti per vices licebit.

Medicamento è Cotoneis, quod coquendi facultatem obtinet, instar heminæ, drachmæ duæ scammonii implicitæ, citra molestiam bilem flauam exigunt. Si pilulas lathyridis ei medicamento indideris, pituitam pelles. Si filiculæ semiunciam aut epithymi in pollinem detriti inieceris, atram bilem trahes. Consimiliter diospolitico medicamine vtitor, in iis præsertī, ad quorū pectus pituita decubuit.

Si medicamento Diacalaminthes, quod naturam sortitur coquēdi, hoc idem addideris, omnem quæ in summam corporis faciem erumpit † humorum colluuiem repurgans, abolebis scabiem lichenasque, necnon similia cutis vitia.

† κακοχυμίαν.

Purgans medicamentū è malis cotoneis constructum.

ſtructum. Carnis repurgatæ prægrandium cotoneorum, fermento oblitorum & torrefactorum, triẽs: mellis deſpumati quincunx: piperis, zingiberis, ſingulorum ſiciliquus: ſcammonii drachmæ ſex.

E citrinis medicamentum purgans, capitis pituitam elicit. auxiliatur item ſtomachicis, cœliacis, & iis quoque qui nequeunt validius medicamentum purgans ferre, ob ſtomachi incõtinentiam (quam ἀτονίαν vocant) vnde & pueris innoxiè datur, ſiquidẽ ſtomacho confert. Carnis corticis citrii mali libram, aquæ ſeſquiſextariũ, mellis heminam: piperis, ſcammonii, ſingulorum vnciam. Citrium in tenues taleolas diſſectum, in aqua coquito: dein percolato iuri decocti mel adiicito, donec ſibi cõcrementum adſciuerit. poſtea terens, aquam mulſam coctam inſerito, & in vnitatem redactis vtitor, dans heminam.

Diamaratru, id eſt, è fœniculo medicamentum purgans, perquàm efficax. Recipit epithymi, zingiberis, piperis, ſcammonii, ſingulorum vnciam: fœniculi viridis, ruthæ virentis, apii viridis radicum, ſingulorum quadrantem: aquæ libras tres. in quo ad tertias decocto, mel pari menſura coquito, dum mediocrem coalitum contraxerit: dein ſicca conſpergito, dato ſemel totum.

Paſtillus bilem ſubducens. Piperis, maſtiches, nucis pineæ, vuarũ paſſarum, detractis vinaccis,

naceis,singulorum grana decem : cumini grana quindecim,scãmonii drachmæ duæ, mellis paululum:teruntur in pastillos.totum vnà datur.

Sal purgatorius:eam,quæ insedit aluo,aut in intraneis coiit, pituitam ciet, & reliquos deiicit humores:modice bilem quoque trahit,commodissimus articulariis,stomachicis.si quis stomachi male adfecti consensu, comitiali vitio correptus,iugiter concidat,eóque vtatur, non paruas mihi gratias referet.'à morbis vindicat omnes, qui ipso familiariter vtuntur.Petroselini drachmæ tres:masticheS,zingiberis, singulorum totidem:piperis , euphorbii , singulorum drachmæ sex,salis ammoniaci drachmæ quindecim:scammonii drachmæ sex.exhibitionis modus est,heminæ dimidium:†prandenti in embammatis sine liquaminibus, cum pisce vel gallina, pondus esto semiuncia. verùm si ventrem efficacius voles subducere , dato ieiunis ex cremore ptisanæ, vel aqua mulsa,drachmas sex:iis verò,qui robustiore sunt corporis habitu,drachmas septē : infirmiori,semiunciam sumpsisse satis est.

† τῷ ἀρίστῳ δὲ ἐμβάμμασι μετὰ ἰχθύος ἢ ὄρνιθος.

Aliud citra molestiam aluum resoluens , stomachum non subuertit vt in vomitiones effundatur:in omni tempore & ætate, figuratam alui proluuiem,marcidam putremq; materiam à capite ad vsque vngues excernit: furfuribus , reliquisque quæ in capite nascuntur,pustulis medetur:vertiginosis & oculorum lippitudine laborantibus

rantibus opitulatur: medetur omnibus, quæ in ſumma corporis facie prodeunt, papulis: tertianis febrib⁹, quotidianis & quartanis, datũ in earum liberis interuallis, videlicet ſi coctionis indicium vrina præmonſtrarit, liberat: ſed præ aliis humoribus eximiè bilem educit. zingiberis, petroſelini, epithymi, laſeris, amæi, ſeminis apii, cumini, libyſtici, piperis, ſingulorum ſemiuncia: ſcammonii ſemiuncia, ſalis ammoniaci fricti ſeptunx. frictus ſal cum cæteris tunditur, tritúmque ſcammonium cernitur, & in pila ad vnitatẽ redigũtur. dantur drachmæ nouem, cum cremore ptiſanæ, vel aqua mulſa.

Hydragogon, id eſt aquam ducens medicamentum, pituitæ exhaurit ſcaturiginem, & aquã educit: Piperis ſeminis ruthæ, ſcobis eburneæ, euphorbii, pares ſingulorum portiones. dandi modus, drachmæ tres cũ liquido melle, vel cõdito. Colicis, & aquę ſubter cutẽ fuſę, remedio eſt.

Aliud citra moleſtiã purgans, iſchiadicis efficax, & iis qui diuturnis morbis circuitu repetentibus affliguntur. Colocynthidis medullæ quadrans, nitri ſextans: perbellè tuſa, robuſtis drachma ex hydromelite datur: imbecillioribus, ſiliquæ nouem.

Verum purgantium medicamentorum ratio ita ſe habet, ſatiſque de iis ſermo factus eſt. tibi verò, & alteri cuiuis purgandi rationum ſtudioſo, licebit hinc occaſionem ſumere, & iuxta

prius ęditas condendorum medicaminum leges, alia moliri, iudicare & fingere, ducto ab iis rudimento.

Medicamenta quæ uel appositu uel iniectione purgant.

VErum enimuero quoniam plerique omnes vmbilicariis medicaminibus, vnguentis, & iis quæ subter in aluum dantur (Enemata nominant) noxios humores eiicere tentant: de iis nõnihil memoriæ prodemus, ne quippiam in opere toto desiderari putetur.

Vmbilicare medicamentum, quod aluum mouet, & vomitus elicit, ventri appositum (epomphalion appellant) menses quoque ciet, vasorum exolutione remoratos partus euocat, ventri aut lumbis admotum. Capit absinthii, succi radicis cyclamini, medullæ colocynthidis, singulorum drachmas decem, radicis syluestris cucumeris, radicis artemisiæ, siccarum, elaterii, singulorum drachmas sex: farinæ lupinorum, chelidonii, seminis †violæ candidæ, singu. drachmas sex: lachrymæ panacis, siciliquum: ceræ drachmas centum: terebinthinæ vnciam: citri drachmas centum, vel quantum fore satis videbitur. admotum medicamen, vbi aluum emotam dederit, summouere oportet.

Emplastrum purgans, quod Chezanacum nominatur, impositum vmbilico, mouet aluum: supra

pra

pra pectus aut ſtomachum appoſitum, vomitionem ciet, donec agglutinatum ſplenium abſtuleris. fœminarum menſes pellit, partus necat, pubi, lumbis aut imo vẽtri admotum. Ratio miſturæ ita ſe habet: Cocci gnidii drachmæ tres, aſii lapidis ſiciliquus, veratri candidi ſemiuncia, caprini adipis drachmę quinque, elaterii ſemiũcia, lactis tithymali drachmæ quatuor, muricæ ſiciliquus, fellis taurini ſextans, ſpumæ nitri drachmæ quinque, amarorum lupinorum farinæ ſextans, comarum abſinthii ſiciliquus: cætera tunduntur, & cribro cernuntur: deinde fel tritũ & amurca coniiciuntur: liquefactus adeps infunditur. cum in vnitatẽ coierint ad vſum recõdantur.

Aliud epithema, ſanguinem per nares eliciẽs, fronti impoſitum, vt eius author pollicetur. At cum profluẽtem ſiſtere volueris, vt idem refert, extracto eo medicamento, locum diligenter ſpõgia poſca aut frigida aqua imbuta foueto. imo ventri aut pubi ſuffixũ pittatio vel ſplenio quadrangulari ducto, longitudine dodrantali, menſes ciet, & partus necat. adhibetur quoque renibus vitio laborantibus, in acceſſionis impetu. Ceræ, galbani, euphorbii, radiculæ (quæ græcis ſtruthion) ſingulorum triens: arida tunduntur, & trita cernuntur: & rurſum ſubiguntur cũ felle vitulino, dum ſtrigmenti craſſitudinem referant: liquefacta ſuperfunduntur: & cum ad vnionem fuerint redacta, veniat medicamentum

ad vſus, vt (inquit idem author) demonſtrabo.

Vnguenti aluum reſoluentis compoſitio.

FEllis taurini, ſextans: elaterii vncia, cocci gnidii triens, ſucci lupini ſextans, euphorbii vncia, adipis viperini ſeſcūcia, medullæ colocynthidis vncia, † muſcerdarū drachma, adipis vulpini recentis ſextans, ſucci pæoniȩ ſemiuncia, caſtorii drachmæ quatuor, olei cyprini ſelibra, olei communis libra. Sicca tunduntur, & in cribro ſecernuntur: adipes verò in pila vehementer ſubiguntur (maximè vulpina, quippe quæ fibris ſcateat pluribus) dein prunis cum oleo eliqueſcunt: reliquáque conſperguntur omnia, & ſubditis ſimiliter carbonibus, ſtatim coquuntur: vnguentū vaſe ſtanneo, tuto operto, ne ſuam vim exſpiret recōditur: verum die vno reponatur in domicilio, nullam aſperginem redolente: pòſt cum ad vſus ventum erit, in omni vſurpādum eſt adfectu, vtpote quod citra noxam aluum moueat. Inſuper autem cum reliquis omnibus, laborātem firmat mentem, & amentiam reprimit. Modus exhibitionis eſt, vt plurimum heminæ duæ: in quibuſdam verò vnam ſolum ſumpſiſſe ſatis eſt. Illinēs itaque vmbilicum, perfectam præſtiti deiectionem: ſi verò preter modum feratur aluus, & eam velis inhibere, ī egelido vino ſpongia intingitur, expreſſáque adfigitur, & profluuium ſiſtit.

μυοχόδων muſcerdarū .i. ſtercoris murium.

Aliud epithema, quod admotum vmbilico, lienem purgat. habet veratri nigri pondo quadrantem,

drantem, veratri candidi pondo trientem: ammoniaci, nitri, ſingulorum vncias tres: ſcammonii pondo ſextantem, piperis heminas quatuor: ea tuſa cribratáq;, terebinthina excipiuntur, vt malagmatis lentorem cõtrahant. locum detergis, & antea foues: deinde ſplenium quincunciale quadratum imponis. partus, pubi admotum, necat.

Hæmagogon epithema, remoratas hærentéſque ſanguinis per ora venarum profuſiones elicit, & menſes fœminis ſubducit: Elaterii, myrrhæ, galbani, hordeaceæ farinæ, ſingulorum ſemiuncia: foliorum ruthæ viridis ſiciliquus, fellis taurini quãtum eſſe ſatis videbitur. in ſummum leuorem ſingula rediguntur: poſtea fellis modus, qui ad excipienda ea ſufficiet, infunditur: quòd ad vſum pertinet, illinitur ſub vmbilico locus, inguinum ferè tenus, & interdum lumbi. mẽſes pellit & venas ſanguinem certis interuallis profundentes aperit.

Alter illitus, qui plantis pedum ſubditus, crudam excutit pituitam. Capit medullæ ſextulas quinquaginta, euphorbii ſextulas triginta, lactis lactucæ marinæ (quę græcis tithymalus dicitur) ſextulas viginti. medulla bene confringitur, ſupra quam tres aquæ libræ funduntur: ſicque triduũ permanent: quarto die coquũtur ad tertias: iuriq́ue colato, tres olei libræ adiiciuntur: & cũ tritici farina tãtiſper coquuntur, dum tertia pars relicta fuerit: cui quadrãs ceræ immergitur, cũq;

bb m
cl at l
mum

cera resoluta fuerit, euphorbiũ & tithymali lac induntur, & perbelle coquuntur: & picato vase, medicamen reponitur.

Cumque tibi voluntas incesserit remedium præbere ei, qui crudis humoribus in media renũ situ torquetur, atque etiam spiritibus in media dorsi spina residentibus laborãti, sagapeni sextulam præstato potandam, cum somno indulgendũ est: postridie diluculo, alteram ex aqua eligida sextulam: deinde dicto illitu subter pedum plantas & media genua perungito. siquidem mirum in modum humorem crudum excutit. nihilominus tamen citra sagapeni præsumptionem perpurgat.

De balanis seu glandibus & clysteribus.

DE glandibus subiiciendis, & iis quæ subter in aluum induntur clysteribus, consequenter nobis est disserendũ. quandoquidẽ in valetudinibus nonnulli ob necessitatem vel vsum, ab iis alui deiectionem petunt. ideo nobis vnam aut alteram compositionem adduxisse satis est: vt ab iis exorsus, talia condere medicamenta possis.

Balani seu glandis compositio, quæ muccosum humorem, acetabulo è coxendicum ossibus inibi pixidatim coeũtibus conflato, & dorsi spina extrahit. prodest quoq; colicis, quos frigoris vis infirmarit. Recipit sagapeni siciliquum: bdellii, sarcocollæ, colocyntidis, scãmonii, nitri, myrrhæ, fellis bubuli, singulorum drachmam. Ea

tun-

tunduntur, secernũtur, subiguntúrq; vt coëant: mel concretum pro pondere specierum adiicitur: & illitis sesamino oleo manibus, digeruntur in glandes.

Oxymeli, id est, acetum mulsum, quod colicis subter in aluum datur. Cẽtaurii vncia, alypię recentis sextans, viridis ruthæ colliculorum sextans: porrorum, agarici, casiæ, iridis, hyssopi, pulegii, singulorum semiuncia: scyllæ vncia, aceti sextarii tres, toto præmacerata aceto coquuntur ad tertias, & colo diffunduntur: additóque melle, discoquuntur, dum in crassitudinem liquidioris mellis coëant: posteà scammonium, leuissimè detritum, instar vnciæ: spicatæ nardi vncia, & misturæ è fœniculo purgatricis vncia: demerguntur & asseruantur, cum ad vsus ventum erit. antea coactum alui recrementum, indito clystere detrahitur: deinde aceti mulsi hemina, cum cremore ptisanæ resoluitur. nec secus vtitor in viciis renum, quæ coiens inibi pituita crearit, quippe quod pituitam sine molestia pellat, & persanet.

De errhinis & gargarizatu.

POsteaquam ea quę naribus rapiuntur, & gargarizatu sumuntur, nonnihil à corpore eliciunt, communiq; purgationum sermone cõprehenduntur: de iis modica quædã narrantes, quod reliquum pertinet ad hanc partem absoluendã, proponemus.

Errhinum purgans medicamẽtum, quod nari bus insertum, pituitam deuocat: vetustæ lippitudini medetur: comitialibus copiosum elicit humorem. Gith drachmæ octo, salis ammoniaci drachma, elaterii drachma: tusa, & in pollinem redacta, sicyonio oleo, aut vnguento irino, aut cyprino excipiatur, vt ceraginis liquidæ crassitu dinem referant: & cornea pixide medicamen re conditur, quod naribus tum illinitur, tum inspiratur.

Aliud citra dolorem & noxam purgans. Cy clamini siccæ vncia, iridis siciliquus, nitri rubri drachma (ipse quoque sum vsus elaterio) trita diligenter harundine aut calamo naribus inspiratur. sed admonendi qui sumunt, vt sursum rapiant: dein deorsum caput flectant, vt collectus humor defluat.

Aliud, quod raptum naribus, sternutamentũ mouet, & caput purgat, ad Tarentinum Heracli dem refertur. Cumini æthiopici, piperis albi, radiculæ, castorii, pares tunduntur portiones: cretæque ænea pixide reponuntur. cum vsus efflagi tabit, cõcutiens pixidem naribus admoueto, aut digitis indito, aut calamo inspirato.

Aliud, zingiberis, radiculæ, singulorum siciliquus: piperis, casiæ, singulorum drachma: miscẽtur, & modo dicto inseruntur.

Aliud, diuturnis capitis doloribus efficax: ver tiginosis, comitialibus, auxiliatur. Veratri candi di

di ſemiuncia:radicis cucumeris ſylueſtris,radicu læ lanariæ(quæ ſtruthiũ græcis dicitur)nitri piperis albi, ſingulorum drachma: caſtorii ſiciliquus,vt dictum eſt,induntur.

Aliud. Veratri candidi, radicis ſylueſtris cucumeris,radiculę lanarię,ſingulorum ſiciliquus: caſtorii acori,nitri rubri,radiculæ,cumini æthiopici, ſingulorum drachma: euphorbii drachma. tritis vtitor,vt diximus.

Aliud. Foliorũ ſylueſtris cucumis ſuccus,naribus infunditur,aut per ſe, aut cum betę ſucco, vt pituitam euocet: aut myrrha cũ melle cocta, naribus hauritur.

Aliud. Aloæ, nitri gith, æquæ portiones, ex oleo miſtæ, vt ſtrigmenti craſſitudinem referant. naribus, ad eliciendos capitis humores,rapiuntur.

Aliud,quod naribus & ore ſaliuam excernit: non alienum quidem,ſi excalfactionem ſentiat, aut exaſperetur palatum.namque pituitam inibi coëuntem excernit. Vuæ tamineæ,(quæ græcis ſtaphis agria dicitur)gith, ſingulorũ drachma: teritur ex aceto,vt ſtrigmẽto liquidiꝰ euadat:diligenter naribus infunditur, donec humorem extrahat.

Efficaci quoq; remedio feruntur alternis diebus indita decem hæderæ folia:cum oleo,quoad ſtrigmenti craſſitudo fiat: & conſimili ratione naribus inſtillatur. Inter ea elaterium, in nares inſpi-

inſpiratum, præſenti eſt auxilio. Verum qui hoc innoxiè voluerit tentare deſcendat in calidæ bal neum, & elaterium indat. ſiquidẽ largam è naribus bilem detrahit.

Capriolus erui, humano lacte cum elaterio ſubactus, naribus infunditur: & vbi purgationem ciuerit, in labellum aut peluim demiſſæ nares proluuntur.

Aliud errhinum, pituitam eliciens. recipit ſaponis ſelibram, caprini adipis libram, ceræ tre-pondo, picis aridæ trientem, nitri tantundẽ, ſtillaticii lixiuii acris cyathos duos: aqua diluẽs, inſtillato. ſed antequam naribus rapiatur, caput errhino perfundi iubeto. Poſt vſum aquæ mulſæ conchulas ingerito: Euphorbii drachmæ ſex, lycii indici ſemiuncia: betæ ſucco excipiuntur, & melle & aqua & lacte diluuntur. tum ſucci cyclamini duo cyathi, ſucci corymborum hederæ cyathus vnus: lachrymæ peucedani & elaterii, ſingulorum obolus. eo cum muliebri lacte, cum ad balneas ventum eſt, vtendum.

Apophlegmatiſmi.

APophlegmatiſmi, medicinæ quæ per emiſſaria palati pituitam eliciunt, fiunt ex ſinapi vel hyſſopo, cum paſſo coctis: aut vua paſſa cum pipere detrita, aut melle commiſto oleo, aut vua taminea priuatim & ex melle trita.

Alius apophlegmatiſmus, qui manſus capitis pituitam accerſit, & largum euocat humorẽ: Piperis

peris candidi,origani,vuę taminecę,ſingulorum, ſiciliquus: excipitur vuis paſſis, detractis vinaceis, aut pinguium ficorum carne, & mandẽdus datur. ſed oportet mãducantẽ deorſum nuere,& ex interuallis, quo congeſtus humor effluat,hiare:poſtea aquam calidam ore continere: & cum morſus & vellicatio fuerit excitata, effundere. Alius:Vuæ tamineę,pyrethri,piperis albi,hyſſopi, naſturcii, pares ſingulorum portiones, dupla polenta excipiuntur, & cum aqua ſubacta tenentur,vt dictum eſt,ore mandenda.

Aliud manducatile: Continet nitri ſex drachmas, aniſi ſemiunciam, vuæ tamineæ drachmas tres:virentium lauri foliorum,vuæ paſſæ domeſticæ,detractis vinaceis, pares vtriuſque portiones accipito,& in manſiles paſtillos,qui tres pendant drachmas, cogito: & cum poſtulabit vſus, vnum præbeto mandendum.

Aliud. Sunt qui origani, hyſſopi, vuæ tamineæ,ſingulorum ſemiunciam:ſpumæ nitri, ſinapis,ſingulorum ſiciliquum: pyrethri tres drachmas,terant,& ita vtantur.

Alii hyſſopo,thymo,origano,& ſeorſum & ſimul vtuntur.

Non deſunt alii,qui præcipiant,partem colocynthidis internam ex aceto coquẽdam,& diu ore continendam:aut vino longo tempore madefactam,ita præſenti eſſe remedio experiantur.

Aliud. Alii cũ ſeminis iure,nitri & vuę tamineæ,

neæ, ſingulorũ drachmas ſeptem: pyrethri ſemiunciam, hyſſopi drachmam, contundito, & in paſtillos cogito, qui drachmam pondere ęquent, & mandendos præſtato.

Aliud manducatile: Pyrethri, piperis, nitri, hyſſopi, vuæ tamineæ, æquæ portiones in paſtillos coguntur, ponderis vnius drachmæ, & mandendi præbentur.

Aliud: Saponem ſucco betæ diluis, & palatum & oris vuam eó linis. hoc idem & naribus ingeritur.

Hactenus, quæ ad apophlegmatiſmos, & errhina, id eſt, manducatiles paſtillos, & naribus indendos liquores pertineant, ſufficienter expoſuimus.

De eliciendo uomitu.

Sed iam quæ vomitus eliciant, aut gargarizatu ſaliuarem pituitam appellent, in pauca conferemus verba: quandoquidem nomine purgantium medicaminum non abs re cenſentur.

Medicamentum Aſclepiadis, vomitione varios humores excutiens, ieiunis datur per ſe, & ex ſeſamoide & tapſiæ ſucco halica, & aqua mulſa vel pulte vel lentis cremore, aut alia quauis ſorbitiũcula. Quidã exili cibo præſumpto, veratrũ obiter ſubminiſtrant: in quib⁹ præſertim ſtrãgulatus imminet ſuſpicio, aut imbecillitas ſubeſt: ſic enim vomitio nihil periculi minatur, munitis alio cibo corporibus: quod nõ intẽpeſtiuũ,

impor-

importunúmq; veratrum accedat. Cæterum & balani ex eo subditi sedi, vomitus excitant.

Sesamoides maius, sursum pituitam & bilem excutit, quantum tres digiti prehenderunt, tritum, cum veratri albi sesquiobolo, & mulsa.

Satiui cucumeris radix trita, & ex hydromelite drachmæ pondusculo pota, vomitus ciet: ei autem qui post cœnam moderatè vomere cupit, obolos binos sumpsisse satis est.

Vua taminea. Huius acinos quinos aut denos si quis tritos in aqua mulsa bibat, crassos humores vomitionib⁹ extrahet: ita vt qui sumpserit, postea ĩambulet. Pręsto autẽ esse oportet aquã mulsam, propter strangulatus periculũ, & propter nimiã ardoris vim, quæ fauces vellicat.

Tapsia huius radicis tam succus quàm lactea lachryma & cortex purgandi naturam sibi vendicarũt, ex aqua mulsa pota, vtrinque bilem extrahunt: radix, quatuor obolis, cum anethi seminis tribus drachmis: succus, obolis tribus: lac singulis obolis datur. si largior modus adsumatur, periculo locus est: purgatio hæc priuatim suspiriosis, vetustis laterũ doloribus (pituitisque gulæ cohęrẽtibus) cõuenit. datur in cibis aut obsonio, quibus vomitio difficulter elicitur.

Spartium. Huius flores, siliquæ & semina, tusa in aqua mulsa, pondere obolorum quinque, egregiè citra periculũ, ellebori modo, per superna purgant: semẽ inanit aluum, deiectionẽ ciẽs.

Bulbus

†ἱμαντω λίσθρα. Bulbus vomitorius, folia fert † lentiora multóq; longiora, q̃ esculentus: radicem bulbo simile, quã cortex niger integit. ea si per se estur, aut eius decoctũ bibitur, vomitiones repræsentat.

Hypophæstum, in maritimis sabulosisq; nascitur, speciem exhibens fulloniæ spinę, & interpollandis vestibus vtilis: serpit humi, foliis minutis & spinosis, inanibus tãtum capitulis, sine flore, sine cauliculis, radice crassa molliq;. ex huius radice, folio, capite, succus exprimitur: qui siccatus, tribus obolis cum aqua mulsa præbetur, quibus voles aquam pituitásq; detrahere: priuatim vero, comitialibus morbis: contra orthopnœas, & neruorum valetudines conuenit.

Sabucus & Ebulus refrigerant: aquas trahunt, stomacho aduersantur. horum folia olerum more igni decocta, eduntur ad pituitam bilémque detrahendam. Radicis in vino decoctæ vsus, hydropicis confert.

†φρυγανώδες. Alypum † surculosa est herba, subrubens, exilibus festucis, tenuibus foliis, flore molli, quàm leuissimo, radice betæ non dissimili, referta acri lacte, semine epithymi: gignitur in maritimis. huius semen, bilem atrã per inferiora subducit.

Clematis, ramulis exit rubentibus, viticosis, & lentis: folium emittit gustu perquàm acre, & exulcerans. ambit hęc claniculis suis arbores, repénsq;, vt smilax, circumuoluitur. tritum huius semen, ex aqua & ex hydromelite potum, bilem & pitui-

& pituitam per aluum exigit.

De myrobalanorum generibus.

PErquàm mediocriter aluum cient fructus nobiles, qui ad nos ex Aegypto Syriáque deportantur, callo corporis compactili, esse intus lignoso: quorum nonnullos vocamus flauos, alios cepulos (quidam magnos appellant, alii nigros) communi vero vocabulo hæc omnia genera Myrobalana dicuntur: trita, duabus aut tribus drachmis repurgant: peculiariter superuacuum capitis humorem exhauriunt. Flaua, bilem flauam: atram, nigra detrahunt: quemadmodum pituitam, cepula. Stomachum autem & interanea, sua insidente astrictione firmant: sed vsta multo magis, & elota. qua de caussa magnam purgantis facultatis iacturam faciũt, quod tenuioribus & siccioribus constant partiunculis: in quibus itaque decumbens fluxio partem aliquam fatigat, aut intestina exulcerat, hæc vsta & elota repræsentamus, & mediocriter intestina subducunt.

Eãdem vim à crassitudine, quod Empelicum & Emblicum, barbara voce nominant, sortiuntur. vnde hæc omnia miscentes genera, sapientes barbarorum medici Paruam triphalon adpellatam, ex ipsis componũt: de qua paulo pòst dicemus, cùm misturas medicamentorum ventrem resoluentium, recensebimus.

Seme à barbaris appellatũ, siliquos⁹ ille fruct⁹ est, qui

est,qui citra noxam, drachmæ pondusculo sumptus,pituitam &bilem trahit.

Quæ his deinceps succedunt, perquàm moderate purgant:nimirum Casia nigra & Mãna. Casia quidẽ, tribus aũt quatuor drachmis sumpta,vix moueret aluum : manna vero, etiã maiore modo quàm casia sumenda est : & flauã bilem simplici ratione pellit . Casia vero ipsa, flauam bilem,sed magis retorridam,& quæ iam in atram degenerauit, extrahit, quinetiam pituitã educit mediocrem.Cæterùm præbemus vtrãq;, quibus potentius medicamen aliud dari nõ potest:nimirũ pueris,& fœminis vtero ferentibus, commoditate quadam & necessitate vrgente, repræsentamus, & iis quibus exuperans febris reliquorum medicaminum vsus respuit.

Oxyphœnicon (nos acidam palmulam bona græcorum pace dixerimus) refrigerat:flauam bilem nihil æquè domat præter indicum rheum: arquatis auxiliatur : sitim restinguit : doloribus capitis remedio est:noxios humores, q superiore ventre coierant, deiicit:appetentiam inuitat.

Turpetum, quod radix est pityusæ, & album alypiæ,glutinosam detrahit pituitam:longis valetudinibus medetur, quas frigus vel atra bilis attulerit, item attonitis, comitialibus, insaniæ & furori.sunt qui tradant,hoc aluum facile subducere:sed non cæterorum more purgantiũ extenuare corpus,imo roborare:addũt, pituitosos humores

humores renibus insidentes excutere, pituitam atrámque bilem emittere, marcidos excernere humores.

Ratio miscendorum medicamentorum.

POrrò quia medicaminum purgantium quędam ad celeriter purgandum nata sunt: quædam mediocriter aluum resoluunt: alia hunc humorem, alia illum pellunt: hanc animaduersionem desiderant, vt eis miscendis & componendis, euincentes in laborantibus humores sequamur: quo minus aliorum vice, alios expellamus. Quippe quum male valentem simpliciter exinanire nihil proficit, sed humorem qui noxam infert, abigere perquàm fuerit vtile: ea tum sunt deligenda, quæ & facilè & citra molestiam ferantur: longe quoque fuerit melius, nisi turgeat humor & sæuiẽs grassetur, hũc cõcoquere, & meatus laxare, clysterémque prius subter in ventrem indere: vel mediocri purgatorio prius, si opus sit, aluum vacuare, vt & medicamenta facilius permeent, & efficaciorem præstent effectum. Postremo, zulapia è radicibus, quæ lotio mouendo sunt, cuiusmodi sunt, radices fœniculi, apii, anethi & erratici intubi (quod cicorium nominant) aut consimiles obiicimus: aut quodpiam ex concoquentibus & emollientibus repræsentamus, qualia sunt maluæ semina, aut althææ, lingua bubula, aut bubulus oculus (quem vocant buphthalmon) & dulcis radix, adiũtum:

& ex fructibus, pruna damascena, & zyzypha, vuæ passæ detractis acinis: item insuper quæ noxios infarctus iocinoris aut lienis expediunt, & proritantẽ lacessentémq; humorem reprimunt: cuius generis est eupatorium, securidaca, edissarum, & centaurium, trisago, aiuga stœcháfque, & quæ in recta ratione medendi sternunt viam medicamentis purgantibus, & velut præambula feruntur: qualia sunt cucumerũ semina & portulacæ, oxosachar, & consimilem his nacta conditionem: præsertim in calidioribus temperaturis, aut affectibus vitiosis, quemadmodum deinceps de omnibus differemus.

Vt igitur tibi facile fuerit præuia purgationibus construere medicamenta, quæ concoquant humores, & impeditos meatus explicent (quando eadem facultate sunt prædita) aiugæ, hali (quod symphytum nominãt) chamæleonis, marrubii, helenii (quam & inulam vocamus) aristolochiæ, sing, semiunciã: poli, centaurii tenuis (aliquibus & marrubii) singulorum drachmas sex: thuris drachmas duas, semissem: myrrhæ drachmas tres, aloæ drachmas sex, galbani drachmas sex, obolum vnum: olei drachmas duas, mellis drachmas quatuor, propolis drachmas duodecim: scissilis aluminis drachmas sex, obolum vnum: bituminis drachmas quinquaginta: cretæ ampelitidis drachmas octo, spumæ argenti drachmas quinquaginta, gallarum drachmas

tres,

tres, iridis drachmas tres:pridie herbas & radices tusas, demittere in oleum oportet, & totam manere noctem:postridie diluculo, iniicere spumam argenti,cretam ampelitidem, bituménq;, & igni decoquere.præsto sint in alio vase,mel & resina, & galbanum,& propolis (quæ cera virginea dicitur) liquefacta:quibus paulatim in ollam infusis,sicca addenda sunt:& cũ iis coquenda,vt non coinquinetur medicamentum:cui rursum ab igne sublato, tritam myrrhã & thus inspergere conuenit:sed attendere, ne supra modũ efferueat,oportet: siquidem magna difficultate potest restingui,si quempiam attigerit.



De emplastris & linimentis.

E Duabus aristolochiis Melena, id est,medicamentum nigrum, ad solutos artus efficax, & defluxionibus obnoxios, si ruens humor articulos impleuit: vetustis auxiliatur vlceribus, & callosis, & quæ pascunt vorántque, & ægrè cicatricem trahunt: cruentis vulneribus immittitur: capiti prodest: luxata reducit ossa, & fracta ferruminat: vlcera repurgat, explet, & ad sanitatem perducit. Continet picis, ceræ, bituminis, terebinthinæ, singulorum pondo: mannæ thuris semissem: eruginis rasæ, cerussæ, singulorum selibram: atramenti sutorii, aristolochiæ longæ, rubricæ, acanthi, aristolochiæ rotundæ, singulorum trientem: malicorii, galla-

rum, omphacitæ, æris ambusti, singulorum sextantem: aceti heminam: cicini olei, aut irini veteris heminam, cyathos duos. quæ in liquorem resolui possunt, simul eliquantur, postea cerussa & erugo cum oleo trita instillantur: dein igni superponuntur, dum in vnitatem coierint: demum sicca resperguntur.

Dysrhachites, mirum in modum sinibus opitulatur, quorum oræ occaluerunt, & dehiscentibus fistulis, indita: quòd si tantum os patuerit, vt turundæ sit capax, linteolum hoc illitum medicamine indes, & præsenti eris auxilio. huius vim vsurpato in partibus irriguis & fluxioni obnoxiis, & longis valetudinibus aduersis: eas corriges, magna ex parte comminuens: podagricis per accessionis principia præsentaneo est auxilio, perlita, & per latum imposita: sed solitis se credant exercitationibus, & reliquos vitæ vsus obeant: modò ne descendant in balnea. in quo viuendi genere à triduo ad aliquot vsque dies persistant: siquidem trãsitum materiæ denegabunt, quæ vitium parit. Porrò & omni prodest vlceri, sex partibus cerati permista. huic cum vetustatem iam sensit, efficacior vis inest. Habet aluminis rotundi vnciam, squammæ æris drachmas duodecim, æris vsti semiunciam, aristolochiæ drachmas nouem, styracis drachmas quindecim, mysis drachmas tres, chalcitidis drachmas tres, scyllæ drachmas

vndeui-

vndeuiginti (aliquibus octo) picis liquidæ semiunciam, iridis drachmas nouem (quibusdam quatuor) terebinthinæ drachmas decem (aliquibus septem) resinæ pineæ drachmas x. (nonnullis sex) croci drachmas septuaginta quinque, olei sesquipondium. Sunt qui adiiciant ceruinæ medullæ drachmam. squammam & æs atque mysi, chalcitim, scyllámque prius leuissimè deteris ex aceto quàm acerrimo, sub sole: cùm in farinam pertrita fuerint, aristolochiam irímque prius tusas, & in cerniculo cretas, immittis: & affuso rursum aceto, reteris in leuorem: hoc tantisper facis, dum nulla supersit asperitudo, non parcens aceti dissolutioni. His in leuorem redactis, alumen adiicis: & eadem repetens prosequeris, dum & hoc in leuorem redactum sit: tum myrrham, pòst thus, dein ammoniacum, & secundum hæc styracem, postremò picem adiicis: insolátur hæc in æstu calido, vt styrax elaboretur. iis quoque in leuorem redactis, sic vt strigmẽti crassitudinem præseferant, ceram, resinam & oleum, colliquata, paulúmque, cum feruescunt, galbani defundes, quæ in vnitatem redacta, in mortario teres: & vbi refrixerunt, sensim liquefacta impones: tum demum galbanum indes: & vbi resolueris, in fictile percolabis: & rudicula deradens, cæteris quæ pilæ mandata fuerant, immiscebis.

E calcitide colletice, id est, agglutinatorium medicamẽtum: inflammationum iniurias arcet: efficaciter vſurpatur aduerſus facta ruptorum di uortia. ſinus agglutinans, committit, & reſiccat: abſceſſus prohibet erumpere: carioſa corrigit oſſa, & quæ putrilaginem ſentiunt, luxata in ſuam ſedem reponit: extremarum partium præſens eſt auxilium: & ad omnia (vt ſummatim dicam) efficaciter pollet. Spumæ argenti, ſquammæ æris, reſinæ pinus, ceræ, ſingulorum drach. centũ: ammoniaci thymiamatis, galbani, ſingulorum drachmæ ſedecim: diphrygis drachmæ duodecĩ, ariſtolochię vncia, olei veteris ſextarii tres. Spuma argẽti, ſquammáque, coquuntur in oleo: & vbi colorem demutarint, diphryges immittitur: deinde reſina pinus, aut picea, ceráque. poſtquàm verò eliquata ſunt, detracto ab igne vaſi iniicitur ammoniacum, in latum extenſum: quod vbi liquefactum videris, ariſtolochiam inſperge, & continenter agita.

Acimionis vel Nicomachi Chlora, id eſt, medicamentum viride, prodeſt aduerſus fiſtulas, liuores & ſugillata, aut vlcera quæ depaſcunt vorántque, nomas adpellant: oſſa fracta ferruminat, & luxata iungit, ſtrumáſque diſcutit. Recipit galbani drachmas ſedecim, æris cremati vnciam, ceræ tantundem: adipis caprilli & vitulini drachmas triginta: thuris, reſinę, ammoniaci, terebinthinæ, nitri, ariſtolochiæ, ſingulorum, drachmas

chmas quinque & viginti: bryoniæ, testiculi herbæ, quæ orchis græcè dicitur, aloæ, singu. drachmas duodecim: iridis semiunciam, scissilis aluminis, glutinis taurini, singu. vnciam: aceti heminam, olei tantundem quando rosaceo coinquinatur, vtere.

Diabotanō, id est, ex herbis emplastrūm: pollet aduersus carcinomata, putrescētes abscessus: strumas ad maturitatem perducit, lepras placat, furunculos discutit, podagricis opitulatur, spiracula corporis aperit, capitis citra vulnerationem incommodis subuenit: è facie maculas extergit, ossa luxata in suam sedem reducit, emotos suo situ pedum articulos in suum positū admotu restituit: vulnera recenter illata, nomásque, linimēto tarundæúe inditum, expurgat: cum rosaceo cerato, vlcera replet: sic temperatis, vt vna medicamenti huius portio cum duabus cerati subigatur. Interdum tribus aut quatuor partibus, cum myrtacei cerati duabus tribúsue, vlcera ad cicatricem reducit. Herbarum è maritimis tractibus nulla vligine aut aqua madentibus, erutarum anagallidis cæruleum ferētis florem, & alterci seu apollinaris recentium foliorum, marrubii, papaueris corniculati, singulorum drachmas sex: tundito tantisper, dum solum resoluātur, nec tamen absumatur succus.

Alia, quæ habet squammæ rubri æris drachmas viginti quinque: mannæ thuris drach-

mas viginti:resinæ pinus aridæ & aloæ, singulorum drachmas sedecim:aluminis scissilis & rotũdi, singulorum drachmas quatuor & viginti. Ea cum aceto teruntur in sole, sic vt strigmenti crassitudinem referant:dein commistæ herbæ reterũtur, dum omnia in vnitatẽ coëant: postremò additis ceræ drachmis centum, & veteris olei quatuor drachmis, coguntur in ceratum.

Chlora siue viridis è Scylla, qua vtitor in capitis fracturis, in fistulis & depascentibus vlceribus. quòd si velis vlcera carne impleat, & carnẽ creet, & cicatricem obducat, vni medicamenti parti duodecim partes cerati rosacei addito: in ambustis igni portionem portioni adiungito. Ratio componendi ita se habet: Aristolochiæ rotundæ, iridis, resinæ pinus aridæ, singulorum drachmæ trigita aut quindecim: ammoniaci, styracis, squammæ rubri æris, singulorum drachmæ quindecim: scyllæ torrefactæ drachmæ centum & vna: in aceto quàm acerrimo dies octo sub æstu teruntur: primùm squamma & styrax, sensim sumpto ex vtroque modo: deinde ammoniacum & scylla adduntur, vt elaborentur: posteà resina paulatim instillatur: subinde myrrha: demum his cum trita fuerint, reliqua arida (completis verò diebus) vt in ceratum cogantur, adiiciuntur ceræ libræ quinque (quibusdam drachmæ centum & decem) terebinthinæ libra (aliquibus semiuncia olei) sesquisextarius (aliquib⁹ heminæ

heminæ ſex) galbani, picis liquidæ, ſingulorum drachmæ triginta. galbanum præſto adſit: quod vbi refrigeratum fuerit, medicamentum diligenter adſeruetur.

Eleſpontia, cutis ſpiracula laxat, quo facilius excrementitios humores corpus expiret: ab inflammationum iniuriis vindicat: ſtrumis, phygethlis, parotidibus, auxiliatur: inductum ex ea ſplenium attrahit, & puri mouendo eſt: rupta glutinat: & in vniuerſum, ambuſtis igni ſubuenit: podagricorum dolores mulcet. Vetus oleum drachmis centum, pix arida drachmis quinquaginta, ladanum drachmis quinq; & viginti, ſpuma argenti drachmis cẽtum, erugo raſilis drachmis tribus ſeſquiſcrupulo, galbanum ſemiuncia. ſpuma argenti cum oleo trita, coquitur: cùm collecta fuerit, pix & erugo coniiciuntur: deinde ladanum & galbanum: & ita mortario creditis, ac tædaceo rude ſubactis, vtere.

Medicamentum Sarcophagon, id eſt carniuorum, valet aduerſum fiſtulas, vlcera cacoethica, ad teredines & ſtrumas: Capit reſinæ, terebinthinæ, thuris, ceræ, ſquammæ ęris rubri, ſingulorum trientem, ſpumæ argenti vnciam. (ſunt qui tantundem auripigmenti, ſpumæ argenti loco ſubſtituant) eruginis raſæ vncias octo, ſalis ammoniaci ſemiſſem, aceti heminam. Ego inſuper vini & olei, ſingulorum heminam addo: & ſcyllini aceti parem modum.

Aliud

Aliud habetur, quod turgentia guttura diſcutit, & duritias diſſipat: Capit argenti ſpumæ drachmas quinquaginta: reſinæ pinus drachmas quadraginta, olei veteris vncias decem, galbani trientẽ, æris exuſti drachmas viginti, ammoniaci drachmas quadraginta, aluminis ſciſſilis drachmas quatuor: mannæ, thuris, ſingulorum drachmas quatuor, cerę drachmas quinque. vltimò mannã galbanúmque demittito.

Cephiſiphontis medicamentum, quædam diſcutit, alia cogit: Reſinæ, nitri ſpumæ, ſingulorum libra.

Aliud extractoriam vim habens: Therebinthinæ, ceræ, nitri, ſingulas minas: minii, bdellii, ammoniaci thymiamatis, ſingulorum drachmas duas & triginta: olei heminas duas: aquæ marinæ aut muriæ tantundem miſceto.

Aliud. Sulphuris ignem experti, baccarũ lauri, calcis viuc, pumicis, ammoniaci thymiamatis, pares ſingulorum portiones.

Minutianus aduerſus ſtrumas miſcebat ſingulorum ſelibram: & liquefactis inſpergebat, fęcis crematę ſextantem, ſpumę nitri ſelibrã: deinde ſubditis carbonibus adiiciebat olei tres heminas, radicis ebiſci vnciam: quib. ſublatis inſerebat radicem cucumis ſylueſtris & gladioli (quẽ Græci xiphion adpellant) ſingulorum vnciam: aſii lapidis trientem.

Emplaſtrum è viſco, diſcutit, extrahit, mammis

mis prodeſt: Spumæ argenti, olei, ſingulorũ dupondius: viſci querni triens, gallarum triens.

Emplaſtrum è viua calce, Damocratis, diſcutiens, ſtrumas diſſipat, omnem cohibet tumorẽ iocineris & lienis: aquæ inter cutẽ ſuffuſionibus medetur: vrinas pellit: largas ciet excretiones lõgos coxendicum cruciatus finit. Habet ponticæ ceræ libram, reſinæ pinus aridæ dupondium, calcis viuæ recentis vnciam, aluminis ſciſſilis vnciam, auripigmenti põtici vnciam: quibus affunditur aceti odorati pauxillum: abundè maiori pila hæc tunduntur: ceræ & reſinæ, igni liquefactis, oleum affunditur, & cõmiſcetur: & vbi malagmatis † impoluti craſſitiem adſciuerit medicamentum, ad vſum reconditur. ἀμολύντου digito non inquinãtis.

Optimus Damocrates huiuſce medicaminis parens, dicere ſolebat, frugi longorum morborũ liberatorem eſſe, in quo diuturna viſceris alicuius, vel extorum inflammatio hypochondria durauiſſet: quod quidem ſupra modum adiumento eſt. quippe cùm ſudores adferat, & hypochondriorum duritias diſcutiat, ſuppreſſos trahat mẽſes, crebris diebus impoſitũ: ego calcem eximẽs, duplum alumen in eius locum ſufficiebã, & medicamen reddebam melius: noui ſic non excitare pſydracia, id eſt, puſtulas ſubalbidas, à quibus deſtillans humor exprimitur.

Diaſmyrnes, id eſt è myrrha medicamẽ Apollophanii: quod apponi præcipiebat contra hypochon-

pochondriorum noxas: omnem discutit duritiã: efficaciter prodest iocinerosis, lienosis, renum vitio laborantibus: item neruorũ incommodis, alterius particulæ consortio consensúue cõceptis: auxiliatur articulorum doloribus, † & captis eorundem officiis. Tenet ceræ, terebinthinæ, ammoniaci thymiamatis, bdellii, myrrhę, propolis, iridis, styracis, singulorũ vncias sedecim: sedimẽti irini vnguenti, quantũ esse videbitur satis: & vini odorati modum, qui ea poterit excipere.

† Ἢ πρὸς καλοχὰς subaudi ἄρθρων i. cõphẽsiones articulorũ: quas ἀγκύλας vocant, vt paulo inferius.

Philonidis è seminibus emplastrũ: fœnigræci seminis, anisi, styracis, bdellii, mannæ, thuris, cardamomi, lugustri, panacis, radicis iridis, spumę nitri, singulorũ drachmę quinque & viginti: ammoniaci, terebinthinæ, singulorum drachmæ quinquaginta.

Diapeganou, id est, ex rutha medicamentũ, ischiadicis confert. Capit seminis ruthæ syluestris, lasaris baccarum lauri, spumæ nitri, abrotani, colocynthidis, cardamomi, amæi, singulorũ semiunciam: ruthæ viridis, picis, terebinthinæ, ammoniaci thymiamatis, adipis magni suis aut felis in domibus oberrantis, (quem nominant ælurum) singulorum drachmas quadraginta: galbani drachmas sex: opopanacis & sulphuris, singulorum semiunciam.

Diacappareos, id est, medicamentum è cappa ribus: lienosis auxilio est. ceræ, resinæ, singulorũ mina: ammoniaci suffimenti selibra: aluminis liquidi

quidi drachmæ quinquaginta:ſtrigmẽti balneorum, hemina:radicis capparis drachmæ quinquaginta:radicis cyclamini, tantundem: myrobalanorum miſturæ, drachmæ quinquaginta: aceti quantum ad excipienda arida: & olei, quãtum ad liquefacta ſatis eſt.

Malagma contra ſtomachi & inteſtinorum defluxiones. habet œnanthæ ſextantem:omphacii trientem:carnium phœnicobalani(id eſt, palmularum, quæ ſolibus illuſtratæ maturuerunt) ſextantem:roſarum vnciam:aloæ, gallarũ, picis, aluminis rotundi, ſingulorum trientẽ, ceræ quadrantem:aliqui thuris & myrti, ſingulos quadrãtes adiiciunt:vinum quantum ad arida capeſſenda fuerit ſatis. ad expugnandam aquam inter cutem & inflationes, addiderunt picis cerę, ſingulas libras:nitri, ſulphuris ignem non experti, aluminis ſciſſilis, ſingulos ſemiſſes.

Emplaſtrum è melle, laſſitudinum tædia reficit:neruorum contractionibus efficax eſt. hinc quoque morbo, qui quodam rigore neruorũ caput ſcapulis annectit, & oris diſtentioni, cùm rictus motu quodam peruertitur (illum, opiſthotonon:hunc, cynicon ſpaſmon nominant) auxilio eſt. dicitur quoque

Tetramyron, quòd quatuor conſtet vnguentis, irino, roſaceo, cyprino, gleucino: inſuper melle, terebinthina, & cera, ſingulis quadrantibus, mel ſeorſum coquitur: & quæ liquari poſſunt elique-

eliquescunt: omnia in pilam coniiciuntur, & tundunt, & in vsum reconduntur.

Myracopum, id est, discutiēdis lassitudinibus dicatum medicamentum: pollet contra mēbris captos, tremulos, aduersus noxas neruorū quodā consensu & iure consortii cōtractas, sympathias dicūt: auxiliatur podagricis, articulariis morbis, ischiadicis: sic vt prorsus omni vitio liberet: vsus eius per ipsas molestiarum intercapedines. in accessionibus, remisso vtimur medicamento. Concipit sampsuchi sextarios duos, fœnigræci sextarium, rorismarini sesquisextarium, sextulæ campanæ sextarium: iridis, ligustri, floris rorismarini (qui græcis Canchry dicitur) herbæ sabinæ, singulorum assipondium: cardamomi, iunci odorati, casiæ, abrotani, baccarum lauri, baccularū myrti, singulorum selibram. omnia cōfracta, duplici vnguētario vasi credito: vini sextarios duodeuiginti affundito: & triduum macerari finito: præterea, olei sabini libras sedecim: irini, lentisci ni, styracini, myrthini, gleucini, laurini, singulorum pondo: subdito igni, coquito: mox liquorē coctorum expressum in alterum vas ingerito, ac rursum sine decoctis recoquito: adiectis septem ceræ libris, resinæ laricis, myrrhæ stillaticiæ, singulis libris: quibus vnà liquefactis, vti antea dictum est, vtitor.

Aliud aduersus vehementes lassitudinū affectus, & neruorum contractiones, constat ceræ drachmis

drachmis quinquaginta, terebinthinæ drachmis quinque & viginti: ſpumæ nitri, hyſſopi, mellis cocti, medullæ ceruinæ, galbani, adipis taurini, ammoniaci ſuffimẽti, baccarum lauri ſiccarum, ſingulorum drachmis ſedecim: veteris olei hemina: vini marini pari modo vtitor.

Baſſi medicamentum, quo ipſe vtens, neruorum priùs reſolutione correptus, euaſit incolumis: habet olei myrtacei, cyprini, ſingulorũ trientem: olei veteris, atramenti ſutorii, ſingulorum ſeſquilibram: galbani quadrantem, mannę thuris vncias triginta: ceræ pondo, terebinthinæ ſeſquilibram: lachrymæ panacis ſextantem: radicis bryoniæ, violæ, ſpumæ nitri, propolis (id eſt, ceræ virgineę) pyrethri, euphorbii, ſingulorũ trientem: adipis hœdi ſemiſſem: aceti modum ſufficientem. bryoniam, pyrethrumq́ue ex aceto coquis: mox liquorem exprimis, & aridis eum miſcens, & exactè conterens, liquefactorum excipis iure. vſus, vti anteà dictum.

Diacaſtoriou, id eſt, è caſtorio medicamẽtum iis qui membris ſunt capti (paretos vocant: quaſi reſolutos) auxiliatur: inueteratos adfectus emẽdat. Habet hyſſopi, terebinthinæ, ſingulorũ vncias tres: medullæ ceruinæ trientem: ammoniaci thymiamatis, galbani, caſtorii, piperis albi, euphorbii, adarcæ, nitri, opopanacis, ſingulorũ vnciam. inſpicito exactè craſſitudinem emplaſtri.

Linimentũ è ſale, podagricis & articularibus morbis

morbis cõuenit: vitium emollit omne: quotidianus eius erumpit vsus. Sordidi salis, hoc est, fossilis seu terræ, libræ duæ: scissi aluminis libra: fęcis vini sextarius, floris asiani lapidis triēs. teruntur arida diligenter, & adiecta fęce, exactè leuigantur: quibus cõtritis, olei veteris sextarius infunditur, & contunduntur: & vbi extraxeris, vsibus ministrato.

In aliis exẽplaribus scriptum est melle excipi.

Acopum Diaphrynon, id est, è ranis rubetis medicamentum lassitudinem discutiēs: Recipit olei sabini veteris, libras tres: syluestris cucumis radicis, ceræ, picis nauibus derasæ, suilli adipis vetusti, singulorum drachmas tres: ranas quæ nominantur rubetæ tres: si eæ desint, è minoribus quinq; : medullę ceruinę, spumæ nitri, sulphuris viui, olei laurini, olei irini, singulorum quadrantem: vnguenti malabathrini libram, sampsuchi tantundem. radices cũ sampsucho tritæ, in oleo merguntur: & subditis carbonibus coquuntur: quum resiccatæ fuerint radices, humor, quem ebiberant, exprimitur, & ipsæ abiiciuntur: mox iniectis in sportulam ranis, os eius consue, & in iam dicto humore tantisper coquito, dum ranæ colliquescant: tum sportulam cũ inditis ranis expressam, abiice. Deinde in huiusmodi oleum, liquida iniice, subagitans tantisper dum dissoluta fuerint: nouissime vnguentũ & galbanum infunduntur: dein deposito ab igni vase, sicca aspergũtur, & in pila, adiecta malabathrini libra, tundũtur,

tur,& plũbeo vase reconduntur. sed muniri debet & seruari, quò minus per vasis spiracula vis eius euanescat,& vernaculam auram exhalet. Vtendum eo est interim perinde atque malagmate,cum senescens vigorem exuerit: interim verò illitu tanquam cerato, quod aliquo vnguento sit delibutum.

Acopum neapolitæ medicamentum podagricis, & articularibus morbis coxariisque præsenti est remedio:quando omni noxa liberat. Continet thuris, piperis albi, ammoniaci suffimenti (quod thymiama nominant)myrrhæ,nitri,floris lapidis asii, aluminis scissilis, succi centaurii, singulorum pondo sextantem: fęcis vini sextarium:olei cyprini,laurini,myrtini, styracini, ceræ,singulorum libram: terebinthinæ pondo semissem:galbani,pondo vnciam: lachrymæ panacis,pōdo semiunciã:liquefacta tritis inseruntur.

Medicamentum quod Piscatoris inscribitur: insigne: Piscator cum aduersis exercitationibus vsus,adeò morbo adfligeretur, vt corpore pictã repræsentaret imaginem,beneficio huius medicamẽti ab omni noxa sospes euasit & sanus. Recipiuntur olei sabini librę tres,surculorum populi nigræ libra (si teneros huiusce arboris partus tempus deneget, vtendum erit sampsucho, ea conditione, vt in alterius vicem duplo pondere sufficiatur)vnguenti crocini,irini,cyprini,singulorum libra:mastiches vncia, myrrhæ stillaticiæ

selibra, picis nauibus derasæ (apochyma græci nominant) trepõdo: pinguedinis suillæ librę sex: sulphuris ignem non experti, spumæ nitri, galbani, singulorum quadrans: medullæ cerui triens decem testudinum terrestrium sanguis coniiciendus est, trito iam & parato medicamini. Cõstruitur autem, vt anteà dictum est, cùm ad vsum accersitur, primum hoc pingue summouetur, & suauitatis gratia infunditur opobalsami & vnguenti malobathrini vncia: ita iucundum efflabit odorem.

Acopum aliud, aduersus diuturnos coxendicum cruciatus, & cubitorũ, & resolutiones neruorũ imprimis efficax: Constat olei veteris duabus libris: castorii, ammoniaci thymiamatis, piperis, opopanacis, galbani, singulorum sextantibus: medullæ cerui triente: liquefactis sicca comprehenduntur, & in vnitatem redacta, ad vsum promuntur.

Chloracopum, id est, viride acopum, præsentaneum leuandis lassitudinibus remedium. sed inter initia laboris non confert, nisi frigus vehemens incesserit, & perfrictio violenter aliquem occupauerit: lassitudine diutina fatigante, efficaciorem exhibet effectum: podagricis, & articulariis valetudinib. opitulatur, si antequam descendatur ad balneas, pedes & nerui affecti eo medicamine perfricentur: ita nonnullos noui è morbo sese recollegisse, & pristinã sanitatem recuperasse.

raſſe. Capiũtur ammoniaci ſuffimenti librę duę: thuris, ſpumæ nitri, eruginis, hyſſopi, ſingulorũ pondo: myrrhæ, galbani, lachrymæ panacis, ſingulorum vnciæ octo: euphorbii, adarces, ſingulorum triens: ceræ dupondius, terebinthinæ libræ duæ ſemis: olei laurini, cyprini, gleucini, ſingulorum libra: irini, lentiſcini, ſingulorum libræ duę: cum aceto ſubiguntur, & coguntur in acopum.

Emplaſtrum aureum, & quod Polyargyron dicitur, contra frigidiores ſuccos, qui in ſtomacho coierunt, & quartanas febres auxiliatur, impoſitum hypochondriis, poſt coctiones: hepaticis, ſtomachicis, lienoſis, iis qui frigida valetudine laborant, item laterum inflãmationibus prodeſt: in calida verò diſtemperatura, incommoditatem parit: & vt in vniuerſum pronuncietur, vitia infarctionis expedit.

Copton, iocineroſis, ſtomachicis, & omni duriciæ ſuccurrit: maſtiches, ſtyracis, ladani, ammoniaci, propolis, ſingulorum libra: thuris, galbani, ſingulorum ſelibra, terebinthinæ quadrans: nardini & vini, quantum ad ea excipienda ſatis fecerit.

Euodes, id eſt, odoratum medicamentum: in quo habentur croci, aloæ, abſinthii, gummis, calami, roſarum aridarum, cyperi, ſerrulæ campanę, caſiæ, iunci odorati, folii, amomi, garyophylli, ſingulorum quadrans: ſpicæ celticæ nardi, micarum, lentiſcini olei, nardi, ſingulorum triens:

maſtiches, carnium palmularum & cotoneorũ, ammoniaci, bdellii, ſingulorum ſedecim: terebinthinæ vnciæ octo: ſtyracis, propolis, ſing. libra, ladani, cæræ colophoniacæ, ſingulorũ pondo duo: palmulæ micæque cum œnanthe macerantur, & terũtur, vt in vnitatem coëant, vt dictum eſt.

Malagma Lentii interpretis: valet ad recenti cicatrice contractos articulos, & abſceſſus qui in altum decubuerunt: ad neruorum collectiones, & articulorum cõprenſiones, quas angylas græci vocant, id eſt incuruas contractiones: opitulatur iis, quorum ceruix quodam neruorum rigore ſcapulis annectitur (opiſthotonicos adpellãt) † & omnibus neruorum lege conſortii affectorũ cauſariis: laſſitudines, acopi modo, diſcutit, irino vel cyprino aut nardino reſolutum: ad inueteratas & ferè deploratas duritias, quæ medicamẽtis non cedunt, efficacem effectum præſtat. Adipis vitulini, bdellii, ammoniaci thymiamatis, iridis, ſingulorum drach. ſedecim: opopanacis, ſtyracis, piperis, thuris, ſingulorum vncia: ceræ, terebinthinæ, ſingulorum ſelibra: irini & odorati vini, quantum ad ea capiunda ſit ſatis.

†καὶ πᾶσαν νεύρι κὴν ξυμπάθειαν.

Laureum magnum, aduerſus ſtomachicos, aqua inter cutem diſtentos, iſchiadicos, lienoſos: habet ceræ, reſinæ pinus, nitri, lauri baccarũ, colophoniacæ picis, ſingulorũ libras quatuor: ammoniaci libram: ſinapis, floris roriſmarini, pyrethri, galãgæ, euphorbii, ſampſuchi, cardamomi,

iridis,

iridis, adipis ſuilli, pinguis taurini, ſingulorum trientem: cyprini olei decimam ſextam partem: non deſunt, qui quartam adiecerint.

Laureum paruum, extractoriam vim poſſidet. Capit ceræ, ammoniaci thymiamatis, nitri, reſinæ pinus, baccarum lauri, ſeu vitulini, olei, pares omnium portiones: olei cyprini, decimam partẽ: ſunt qui ſextam addant.

E ſeminibus medicamentum, omnem diſcutit inflationem: duritiam emollit. Aſſumuntur, ſeminum lini & fœnigræci, aniſi, baccarum lauri, petroſelini, ſampſuchi, myrrhæ celticæ, cardamomi, ſertæ campanicæ, iridis, caſiæ, herbæ ſabinæ, thuris, croci, radicis panacis, nitri, ſtyracis, ſeminis apii, cyprini, ſingulorum ſextás, pinguis taurini libra: ammoniaci dupondius: terebinthinæ ſeſquilibra: ceræ, colophoniacæ, ſingulorum pondo quatuor: mellis ſelibra: vini modus, qui tibi faciet ſatis.

Ex œnanthe medicamẽtum, pollet aduerſum iocineris imbecillitatem: auxiliatur ſtomachicis, cœliacis, dyſentericis. Capiuntur œnanthæ herbæ, acatiæ, roſarum, croci, gallarum, rhus ſyriaci, thuris, aloæ, omphacii, florum ſylueſtris punicæ, ſingulorum quadrans, palmulæ quindecim, abſinthii ſelibra, ammoniaci libra, colophoniacæ dupondius, ceræ libræ quatuor & ſemis: lẽtiſcini & melini, quãtum ad ea excipienda ſatis ſit.

Amithaonis malagma, valet contra hypochõ

driorum adfectus:omnes duritias discutit: facit ad articulos,qui ægrè mouentur: Ceræ, ammoniaci,singulorum trepondo:terebinthinæ vnciæ octo:cyprini heminæ quatuor.

Panalethos,vel Barbarus Galeni, vulnera maxima glutinat.habet picis libras octo,ceræ pondo sex & vncias octo,resinæ pinus libras quinq; trientem, bituminis pondo quatuor (aliqui sesquilibram imponunt) olei sesquilibram, spumæ argenti,cerussæ,eruginis, singulorum quadrantem,thuris semissem,aluminis liquidi sextantē, aluminis scisſi trientem:lach.panacis,squammæ æris,galbani,sing.sescunciam: lachrymæ papaueris, myrrhæ, sing. semiunciam, terebinthinæ quadrantem:mandragorę ſucci sextulas quinq;, aceti heminas sex quę sunt librę quatuor semis: siquidem vncias nouem capit hemina.

Aliquibus simplicior est, barbara commistio: picis,ceræ,resinę,pinus aridę,bituminis, singulorum libra:spumę argenti drachmę decem, eruginis drachmę quinque,cerussę drachmę quinque, opopanacis drachmę tres:per hyemen olei dodrans,per ęstatem selibra.Liquida cum aridis subiguntur.Si verò dolores sopire vehementius volueris,apollinaris herbę succi sesquidrachmę, lachrymæ papaueris drachmā permiscebis . hoc medicamentum priore moderatius agglutinare, Galenus est autor.

Piganea, id est rutacea, ischiadicis opitula-

tur,

tur, iis qui lumbagine torquentur & humeris dolent, iis etiam qui destillationibus sunt obnoxii, & pectoris defluxionibus opportuni sunt subuenit. Ceræ libræ quinque, colophoniacæ trepondo: ammoniaci, sulphuris ignem non experti, singulorum sesquilibra: foliorum ruthæ, suilli adipis, spumæ nitri, singulorum pondo, adipis taurini trepondo, butyri sextans, olei veteris quãtum esse satis visum fuerit.

Vnguentum è butyro. pollet contra dolores & perfrictiones pectoris, & concitatas inde tussiculas: Ceræ libræ quinque, butyri selibra, terebinthinæ sesquilibra.

Anethinum, ad eadem efficax est: Adipis suilli dupõdius: olei anethini & chamæmelini, quãtum videbitur sufficere.

Isis, aliquibus Epigonos appellata: facit ad omne vulnus, & præsertim capitis, si † cum intercisione osium hiet: sine iactura persanat: efficax habetur aduersus illatos punctus, impactos corpori refigit aculeos: hominum canumque morsibus medetur: viperarumque virus & scorpionum, draconis marini, & pastinacæ venena, tractim elicit. vulnerariis membratim fragminibus remedio est: siquidem tutius & celerius fracta ferruminat. pollet aduersus recentes fistulas, veteres corporis cuniculos, & dehiscentes sinus: tubercula, parotidas, item aurium & alarum abscessus discutit, & nasci prohibet. quod

† μετὰ διακοπῆς ὀστῶν

ſi iam eruperint, iis emiſſarium facit, vt vomicæ ventriculo purulenta ſordes emanet. ſtrumas cũ cingentibus tunicis celerrime tollit: puri mouendo efficax, fluxiones ad oculos decumbentes ſiſtit, impoſita fronti liuores & inſignita delet: gãgrenas circunſcribens, ſerpere non patitur: vlcera putrilaginẽ olentia repurgat: & vt in vniuerſum pronuncietur, ad omnia proſper erumpit vſus. Ratio componendi ita ſe habet: Ammoniaci thymiamatis, eruginis raſæ, ſalis ammoniaci, æris ſquammæ, & æris combuſti, ariſtolochiæ, thuris, ſingulorum ſextans: myrrhæ quadrans: aluminis ſextulæ nouem: aloes, galbani, ſingulorum quadrans: radicis dracunculi ſextans, ceræ dupondius, reſinæ colophoniacę pondo quatuor (ſunt qui parem modũ terebinthinæ inſerant) veteris olei ſeſquilibra, aceti tantundem.

Anete, mulcet inflammationes: Ceræ pondo quinq;, emplaſtri de ſuccis (diachilôn nominãt) libræ octo: excipiuntur oleo chamæmelino, & ſufficienti vino.

Diamelitos, id eſt, è melle malagma, aduerſum ictus efficax: vlcera deterget. Ceræ, colophoniæ, adipis ſuilli, ſpumæ argenti, boici, olei veteris, & mellis, ſingulorum pondo quinq;: terebinthinæ dodrans.

Emicis malagma, vim emolliendi & diſcutiẽdi ſortitur. Habet radicis althææ, palmularum, ceræ, terebinthinæ, ſingulorum libram: fœnigræci, ſe-

ci, ſeminis lini, ſingulorum libram: chamæmeli, ſertulę campanicæ, ſingulorum ſemiſſam, vini metretas duodecim: ceruſſæ, ſpumæ argenti, colophoniacæ, olei veteris, ſingulorum libras quinque. Sertula campana, fœnumgręcũ, ſemen lini, radicis althęę, in vino maceratę feruefcant: & fiſcis aut ſacculis colatæ, proiiciantur: carnes palmularum benè cum floribus chamęmeli molitę, cum reliquis ſubigantur.

Maſtichera, id eſt, è maſtiche emplaſtrum: valet contra ictus articulorum, & renum vitia. Ceræ librę duę, colophoniacę librę quatuor, maſtiches vnciæ octo, terebinthinę triens, galbani vncię octo, ammoniaci libra.

Flauum vnguentum, ſanandi vim habet, & & extrahendi. Cerę, reſinę piceę, ſingulorum librę quatuor: axungiæ ſuillę librę quinq;: thuris, maſtiches, galbani, terebinthinę, ſingulorum ſelibra: adipis gallinę & anſeris, ſingulorũ ſextans: medullæ ceruinę quadrans.

Tetrapharmacum, mollit, carne explet, concoquit: Cõſtat cerę, picis, colophoniacę, ſeui bubuli, ſingulorum ſeptenis libris.

Ceruſſatum, quod è ceruſſa fit, vnguentum cicatrices complet: Capit ſpumæ argenti ſeſquilibram, ceruſſę pondo quatuor, cerę candidæ libras ſeptem, olei quantum ſufficere videbitur. Oleum & ſpumam argenti tantiſper coquito, dum * ſyncera & nulla ſorde polluta conſpiciantur:

tur: posteà reliqua coniicito.

Porraceum, quod Prasinum nominant, excrescētia carnis reprimit: vulnera sanat, & cicatricosam cutem illustrat: Concipit ceræ libras quaternas, colophoniæ libras quinas, eruginis rasæ libram vnam aut alteram, olei & aceti modum sufficientem.

Aegyptia Achromachi, cruentis vulneribus inditur, vulneraria vi subueniens: auxiliatur efficaciter neruorū † intercisioni, musculorum punctioni, fracturis, † luxationibus viminum, vinculorumque vellicatui; contra abscessus pollet & offensas, quibus pedes obnoxii sunt. glutinat vulnera: capitis doloribus subuenit: & compluribus noxis est accommoda. multo reddetur vtilior, si squammam acie aut mucronibus decussam (quam appellant stomoma) pari pondere sibi adsciscat: sed eo deterior vulneratis neruis, si sola punctio neruum male habet, squamma æris est superuacua: namque nullum metallicum, nisi prius in aceto leuissime teratur, huic puncturæ superpositum remedio est. in neruis tamē denudatis, & nutantibus, bonum: si verò inflammationem experiantur, hac liquefacta cum rosaceo, linimentum imbuitur quo erit vtendum. Quæ inseruntur, ea sunt: Aristolochiæ rotundę, thuris, squammæ æris, squammę acie aut mucronibus decussæ (quam nominant stomoma) singulorum sescuncia: ceræ, spumę argenti, singulorum

† διακοπῇ.
† περὶ τὰ λυγίσματα. i. (vt vulgus vocat) ītorta quæ alio noīe στρέμματα dicūtur.

rum librę duę:ammoniaci libra,terebinthinę ſe-
libra,vellerum ſuccidorum crematorum ſelibra,
olei veteris libræ quatuor.

Myrſinatum,habet ceræ libram,plumbi com
buſti libras,quatuor,ſpumę argenti libras octo,
ſerici libras quinq;,ceruſſę vncias octo,olei myr
tini libras ſedecim.

Dioſtreon,id eſt,oſtreatum,habet ceræ can-
didæ libras quatuor, cadmiæ crematæ & elotæ
libram,oſtreorum combuſtorum eloti cineris li
bram,ceruſſæ libram vnam aut duas, ſpumæ ar-
genti elotæ librã,olei myrtacei quantũ erit ſatis.

E ſandice. Ceræ libræ duodecim vel ſex,ſan-
dicis libræ ſex aut duę,roſacei modus ſufficiens.

Ex anchuſa. Ceræ libræ quatuor aut ſeptem,
anchuſæ libræ tres aut duæ, olei roſacei portio
quæ tibi ſatisfacere videbitur.

Sulphuratum, Diathiu nominant: Olei, re-
ſinæ piceę,ſingulorum libræ quatuor: ceræ, ma-
ſtiches,ſingulorũ libra:centaurii triens:olei opta
ti,vel alterius cuiuſuis. ea liquantur, & manua-
li centaurii muſcario aut faſce mouentur,vel vi-
ridi vel ſicco.

Neurochalaſticon, id eſt, medicamentũ ner-
uos emolliens: Ceræ libræ octo, colophoniæ li-
bræ tres:myrrhę,bdellii,galbani,ammoniaci,a-
loës,opopanacis,maſtiches,butyri,cyprini olei,
gleucini,nardi,olei rhutacei,bituminis,ſing.põ-
do:terebinthinę, adipis vrſini, ſing. dupondius:

ſeui

ſeui taurini & ſuilli, ſingulorũ trepondo: medullæ ceruinæ, olei tędacei, (dadelæon nominant) olei laurini, ſing. trepondo & triens: euphorbii, œnanthæ, ſingulorũ vnciæ octo: olei communis, libræ octo.

Tyria Damocratis.

ANepidetos, facit ad non magna partium diuortia, & quadrupedum morſus in ſumma cutis ſuperficie impreſſos. recẽtes furunculos diſcutit, eoſque adaperit, in quorum vẽtriculo iam pus coiit, ſi geſtetur impoſita: & eorum cruſtas quàm celerrime rapit: impoſita fronti, fluxionẽ ad lippientes oculos decumbentem, ſuſpendit & cohibet. Nomen tyriæ ex eo vendicauit, quòd inter coquendum tyriæ purpuræ ſibi colorem adſciſcit. Habet ſpumæ argenti libras quinque, ceræ libras duas, reſinæ pinus libras tres: eruginis, ſquammæ æris, galbani, ſingulorum trientẽ: olei libras ſenas.

Pẽtathetos, quod quinque ſimplicia cõcipiat, adpellatur: pollet contra diuturna pedum & capitis tubercula: Ceræ, colophoniæ, adipis bubuli, calcis, picis, ſingulorum libras ſeptem.

Leuce rhodine, id eſt, alba roſacea, vlcera carne implet, & ad cicatricem perducit, atque refrigerat. Ceræ ſeſquilibra, aluminis ſeptunx, thuris ſemis, terebinthinæ tantundem, ceruſſæ libr[ę] ſex, ſpumæ argẽti libræ quatuor, roſacei quã tum ſatis fore videbitur.

Ex al-

Ex althæa medicamentum, vim emolliendi posſidet: Ceræ, colophoniæ, ſingulorum libra: olei, ſucci althææ, ſingulorum libræ duæ.

Vnguentum è Styrace, iſchiadicis auxilium adfert: Maſtiches, lachrymæ panacis, ammoniaci, euphorbii, portulacæ, caſtorii, œſypi humentis, medullæ cerui, ſingulorum vnciam: galbani, terebinthinæ, tiberiadis ſucci, ſingulorum ſextantem: cumini trientem, ſinapis quincuncem, ſtyracis ſemiſſem: chamæleonis, fœnigræci, ſingulorum vncias octo: colophoniæ, reſinæ pinus, cerę, ſingulorũ libras duas: picis libras quatuor, cyprini quantum erit ſatis.

Machærionis vnguentum, recentia omnia glutinat vulnera, & ab inflammatione vindicat, ſed maximè impulſu concepta: morſibus efferatorum in rabiem, eximiè ſubuenit, impoſitum variis formulis ac modis, & continẽter mutatum, & catapotio fabæ tuberculo deuoratum diebus triginta: proficit aduerſum nomas omnes & phagædenas: item contra aurium & genitalium vlcera: nudis osſibus carnis iacturam reſarcit, ſtatim ad incrementum perducens: reſoluitur oleo omphacino, aut roſaceo. Recipit ariſtolochiæ rotundæ, galbani, lachrymæ panacis, æruginis, iridis, ammoniaci, myrrhæ, ſingulorum vnciam: terebinthinæ, olei, quod acerbæ remiſerunt oleæ (omphacinum nominant) ſingulorum vncias ſexaginta & ſemiunciam:

ciam: olei dimidium modum, cum erugine terito operosè, & dimidiatam portionem cum cera & terebinthina coquito: dein, cum ad vnitatē collegeris, vtitor.

Primmionis emplastrum mirabile, vlcera cicatricibus obducit etiam deplorata: ad quæ sananda permulti magnum impenderunt studiū, suam tamen planè luserunt operam. Tenet malicorii, calcis viuæ, aluminis, singulorum sextantem: thuris, gallarum, singulorum trientem: sorys semissem, adipis vitulini vncias septem & semiunciam, vel libram vnam & semissem: veteris olei dodrantem.

Diachamæleontos, id est, è chamæleone emplastrum: hoc tyriæ proximum: maximè verò perducit ad cicatricem vlcera, quæ medicamenta respuunt, aut difficulter curationi cedunt, & quorum oræ occalluerunt, & in vetustatem inciderunt: rimis sedis, cōdylomatis, & duritiis medetur. Continet argenti spumæ vncias octo, ceræ trientem, chamæleonis semissem: eruginis, olei veteris, singulorum sextantem.

Ex euphorbio emplastrum pollet aduersus neruorum vulnera: Ceræ, colophoniæ, resinæ, olei veteris, singulorum libra: euphorbii sextās. Quod fit contra carbunculos, habet spumæ argenti libras duas, olei veteris libras tres, auripigmenti sextantem, coquito oleum & spumam argenti, donec ne amplius quidem inquinantes polluant:

polluant: deinde auripigmentum detritum adiicito cum oleo.

Azeneti vnguentum, efficax est aduersus omnia maligna vlcera (Cacoëtha nominant) itẽ contra gangrænas, fistulas, recentia vulnera, ambusta igni, perfrictiones: acopi modo emollit, in pesso subditum: vlceribus vteri, tuberculis, & parotidibus opitulatur: cùm vlcera caua extiterint, copioso vtitor medicamento: vt verò trahant cicatricem, minor creditur medicamenti proprietas: sordidum, quod rhypodes nominãt, imponendum præcipimus, oculis lippitudine laborantibus succurrit, genis illitũ. Ab hoc medicamento oleum dissidet: ideo quando conficitur, abdicatur. pix verò, cera & adeps adiiciuntur: maximè suum impertitur effectum, cùm vulnus circa neruos malignũ est: Habet ceræ libras tres, resinę piceę libras quinq;, œsypi libras tres, adipis taurini trepõdo, colophoniæ libram, adipis suilli libras sex.

Psoralimma, id est, scabiei dicatum linimentum: Habet chamæleonis, lipinuli, cretæ, vuarũ passarum, sulphuris ignem non experti, singulorum libram: spumæ argenti, dupondium: gith, styracis, spondylii, cadmiæ floris, cretæ figularis, alcyonii, singulorum selibram: lyssomodi, radicis rumicis, singulorum vncias octo: spumæ nitri, quadrantem: olei & aceti, quantum ad ea excipienda postulabitur.

Massu-

Massuphæ confectio. Ad nostram misturam addere oportet odorati garyophylli binas sextulas, costi tantundem, folii indici octonas sextulas scrupulos duos, spicæ nardi tantundē, rosarum tantundem, amomi sextulas duas, styracis tantundem, gummis sextulas quatuor.

Diambar, id est, ex ambare medicamentum, pollet aduersus perfrictiones, imbecillitatem stomachi, & vibratus, & exortos inde pauores, itē ad insanos atræ bilis insultus: Recipit masticheṡ sextulas decem, ladani dextantem: cerę, terebinthinæ, styracis, singulorum, sextantem: piperis, spicæ, cinamomi, singulorū sextulam: xylaloes, ambaris, singulorū sextulas tres: balsamini olei (quod vocant balsamelæon) sextulam.

Diacharton, id est, è chartis vnguentum, valet contra nomas: Squammæ æris, chartæ crematæ, singulorum drachmæ viginti quatuor: auripigmenti, sulphuris ignem non experti, singulorum drachmæ duodecim: plumbi combusti drachmæ sex.

Puluis ad externas sanguinis eruptiones: Thuris, aloæ, aluminis, sarcocollæ, gummis, argenti spumæ, cerussæ, succi acaciæ, stercoris, aut recrementi ferri, quam vocant scoriam, ni, modus.

Diaccralliu Trochiscus, id est, è corallio pastillus: Repurgatæ lachæ, lemnii sigilli, cretæ samiæ, asteris atici cognomento, armeniacæ glebæ, putaminis oui cremati, alcyonii combusti,

gypsi

gypſi cremati cineris, *hæmatitis* gẽmæ, ammoniaci, therapidii, gallarum ægyptiarum, roſarũ, draconii ſanguinis, rhûs ſyriaci, malicorii, amyli, atramenti ſutorii, ſucci hypocyſtidos, cadmię, pinus, violæ, cucurbitæ, cyclamini crematæ, ſingulorum ſextulas tres, hæc tũdito: & cribro creta, ita recondito, vt ſuam facultatem non exhalent. erumpẽtes exterius ſanguinis profuſiones, medicamentum cohibet.

Linimenti genera, quibus in balneis illinuntur, qui pſora, ſcabie, lepra, & diuturno pruritu laceſſuntur, ſunt hęc: auripigmenti duella, piperis longi ſextula, ſtaphidis agrię (quę pedicularis dicitur) ſextula. Sed pro habitu corporis, & ſenſus facilitate, & humorum copia, adiicies & minues ſpecies.

Pſoricum, id eſt, ſcabiei abolendę dicatum linimentum: valet aduerſus incipientem elephãtiaſim, antequàm iacta ſint etiam fundamenta. Nitri, aluminis, ſulphuris viui, cere, ſingulorum ſextans: picis, triens: olei, in quo rododaphnę frutices incocti ſint, libra: ſunt qui ſulphuris ſelibram adiiciant. quibus ad oculos vſque corpus totum hoc vnguento fuit delibutũ, ii intra dies decem, incolumes euaſerunt.

Malagma monomachium, id eſt, quod vnicè contra noxas pugnat: pollet aduerſum inflãmationes, & duritias iocineris, lienis, ventris, vteri: ad prętumentes locos, ad ſtrumas, inguinarios

 panos,

ἐντέρων. panos, tubercula, & (vt simplici ratione dicam) duritiam omnem mirum in modũ discutit. Cæterùm commendatur item in inflationibus † interaneorum, & doloribus. Continet spumæ argenti semissem, radicis althææ in farinam redactæ quadrantem, adipis anserini sescunciam, adipis gallini vnciam, farinæ fœnigræci quadrantem, seminis lini vnciam, farinæ sertulæ campanicæ semiunciam, medullæ cerui quadrãtem, galbani sextantem, colophoniæ sextantem, olei veteris vncias quindecim, anethi in farinam commoliti semiunciam, olei chamęmelini quadrantem, veratri candidi drach. tres, sampsuchi vnciam. in liquorem resoluãtur, quæ liquescere debent: dein pulueres & farinæ coniiciantur.

Ex halicacabo pastillus, quẽ Vesicariam vocauimus: ad prægnantes aqua pustulas, & epinyctidas efficax: narium vlceribus, & rimis sedis, & quibus citra dolorem ducere cicatricem placet, auxiliatur. Habet cerussæ libram, spumæ argenti semissẽ: aluminis scissi, corticis halicacabi, atramenti sutorii, synopidis, singulorum selibram: quæ aceto excipito.

Arei medicamentum, valet aduersum scabiem, psorasque: item ad vlcera quæ serpunt vorántque, ad excrescentem carnem, vnguium reduuias, purulentas aures, vlcera quæ ægrè medentibus cedunt, sedis rimas & condylomata. Alumen scissile, minium synopicum, gummi,

eruginem, gallas, flores punicæ, singula paribus modis, aceto excipito. hoc præsenti est remedio: contra tamen rimas sedis, condylomata & nomas, aloæ semissem, croci quadrantem, scissi aluminis quadrantem, vino excipito, & in pastillos cogito: cum pastilli venient in vsum, humor quo diluentur, affectui quadret.

Petronii arete, obsidentibus acriter magnis doloribus rimarum sedis & condylomatum, celeriter liberat. Capit stimmis, acatiæ, plumbi cremati & eloti, singulorũ vncias duas: spodii, cyprii, ericæ fructus, aluminis scissi, thuris, atramẽti sutorii, myrrhæ, lachrymæ papaueris, singulorum drachmas duodeuiginti: vino excipe, & cũ ad vsus ventum est, passo dilue.

Musæ medicamentum. Aluminis scissilis, aloæ, myrrhæ, atramẽti sutorii (quod chalcanthẽ græci vocant) croci, singulorum vncias duas: florũ syluestris punicæ semiunciam, melle excipe.

Pastillus Bitynus, nomis, fistulis, & vnguium reduuiis auxilio est: cum duplo cerato, serpentibus vlceribus, ignibus sacris opitulatur. Habet malicorii, gallarum, aristolochiæ, aluminis scissilis, chalcitidis, cadmiæ, singulorum drachmas sex: iridis, squammæ æris, singulorum drachmas quatuor: atramenti sutorii, mysis, singulorum drachmas sex: nitri, thuris, singulorum siciliquũ: chrysocollæ drachmam: aceti, quantum sufficere putabitur.

Puluis citra vellicatum erodens: Sādarachæ, auripigmenti, ſingulorum ſiciliquus: calcis viuę, mannæ, thuris, ariſtolochiæ, ſingulorum drachmæ ſex: pumicis, reſinæ, ſingulorum drachmæ quatuor: iridis ſiciliquus. iis in leuisſimum puluerem redactis, vtere.

Paſtillus albus dyſentericis cum candido oui liquore ſubter inditur: lachrymæ papaueris ſeſcuncia, tragacanthæ ſextans, ſpumæ argēti quadrans: ſigilli lemnii, amyli, ſingulorum quadrans: cimoliæ cretæ triens, decoctum myrti baccarum.

Ad ſanguinis profuſionem puluis.

SI per ora venarum profundatur ſanguis (hæmorrhoidas græci ſolent appellare: hæ velut emortuæ ſiccantur, & paſſarum vuarum modo rugoſæ citra vlcerationis ſenſum procidunt) ſeptem dierum ſpacio medicamen ſuperinductū ſubuenit: condylomatis & fiſtulis illitum medetur: Habet aridæ fęcis vini crematæ drachmas tres, myſis ſiciliquum: nō deſunt qui mannæ thuris binas adiiciant drachmas: quæ perinde atque fęx, donec inalbeſcat, vritur.

Aliud medicamentum, quod condylomata reſiccat, & callos, & abſceſſus extenuat: Ceruſſæ, ſpumæ argenti, acatiæ, aluminis ſcisſi, ſingulorum drachmæ quatuor: plumbi combuſti, lapidis hæmatitis, cadmiæ, auri, ſingulorum ſemiuncia: punicorum acidorum, roſarum,

thuris,

thuris, singulorum siciliquus: croci drachma: tusa cretáque pars dimidia, cum aceto & apollinaris succo subigitur, vt coalescat: & illitis oleo rosaceo manibus, in glandes cogitur, & subter inditur: altera pars dimidia, quæ fuerit in puluerem redacta, cum rosaceo subigitur, & inducta lineo panno inseritur.

De pessis.

PEssus contra vuluæ strangulatus efficax: Adipis anserini selibra, adipis phasiani tantundem, ceræ selibra, croci vncia: spicæ nardi, amomi, mastiches, singulorum vncia: opobalsami quadrans, irini selibra.

Alter pessus: Ceræ candidæ dodrans: adipis, terebinthinæ, singulorum selibra: mastiches, styracis, croci, singulorum quadrans: nardini vnguenti selibra.

Alius pessus: Styracis sextans, casiæ vncia: spicæ nardi, amomi, croci, mastiches, singulorũ vncia: thuris, folii, singulorum sescuncia: ceræ, olei, singulorũ septunx: pinguis anserini triens, adipis phasiani quadrãs: opobalsami, liliacei olei, amaracini, cyprini, nardini, singulorum vncia: irini sextans. Si concitatiores volueris efficere, cardamomi drachmas quatuor, aut vrticæ tantundem adiicies. Detrahere aut adiicere conuenit excalfacientia, temperamentum reliquumq; corporis adfectum respiciendo.

Insessus & pessi. Si vel viris vel mulierib⁹ ge-

nitura profluat, post aliam adhibitam diligentiam, insessibus vtendum, qui habeant decoctũ rosarum, myrti, rubi, lentisci, & reliquorum, quę naturam sibi refrigerandi & astringendi vendicarunt. Oblinendum verò abdomen, imus venter, pubes inguinum tenus, acacia & hypocistide ex vino austero, & consimilibus: item iis, quę ex palmulis cotoneísq; fiunt, cataplasmatis: necnon consim ib. ceratis.

Si vterus inflatione laboret, insessibus est vtendum, qui fiunt è decocto ruthæ, pulegii, nepetæ, ibii, thymi, artemisię, & viscilaginibus altheæ, & consimilium. foris autem illinere conuenit vnguentum è semib. aut è baccis lauri: vel polyarchum cera olutum iniicimus.

Pessi aduersus vteri inflationem. Porrò pessi sunt subterindẽdi, ex terebinthina, galbano, iride, rutha & hyssopo: item qui fieri solet è rutha, pulegio, nitro & melle, & bubulo felle. in quorum classem adnumeratur, qui ex pinguibus ficis, exemptis granulis ficariis, tritis, ponduscuIo drachmæ: radice cyclamini pertrita: sicilici põdo: spumæ nitri drachma. verum ad fallendam acrimoniam, retundẽdámq;, pessum in lac oportet immergere. Cæterum vtero aqua intercutẽ distento, post impensam exactè reliquam diligẽtiam, vtendum est nitro, colocyntide, quæ melle excipiantur, & in pesso subdantur: sed prius cyprino oleo intingantur.

Alius

Alius pessus. Cumini & nitri pares modi, cũ melle subter in vuluam induntur.

Alius. Colocynthidis & salis, singulorũ drachma, pinguis fici carne excepta, vt iuglandis magnitudinem æquet, glãdis seu balani modo subiicitur: siquidem humorem graue virus olentem extrahit, & eximie opitulatur.

Idem si sedi admoueatur, alui recrementa & humorum crassitudinẽ elicite, flatúsq; vẽtre exiget: vterũ onere leuat: mulieribus, quæ pustulas exiguis vesiculis similes aqua plenas (quas ideo vocãt hydatidas) in vtero contraxerunt, vtendũ.

Menses deuocant pessi, ex odoramentis aut sanguinem educentibus (hæmagoga nominant) inditi: qualis est, qui constat canabis drachma, chamæleæ drachmis quatuor, elaterii totidem drachmis, casiæ semiuncia: aluminis scissilis, mysis, sandarachæ, singulorum drachmis tribus: myrrhæ, croci, costi, singulis siciliquis: quæ melle colligantur. sed pridiè compressa aluus clystere ducenda est: mox pessus impellendus: deinde alter pessus emolliendi natura præditus, mulcendi gratia inserendus est: rursúmque idem prior subdendus.

Si vterus inflãmatione, tentetur, hi pessi erunt suffigendi: Capita papauerum, in passo tantisper decoquuntur, dum cõsumpta distabuerint: dein tortiuo iure expresso, & excolato, cerui medulla, vel vituli, vel adeps anserinus, pro ratione in-

ſeritur ad vſus.

Alter peſſus. Fœnigręci tuſi & cribrati, terebinthinę, axungiæ ſuillę, ſingulorum ſemiuncia: roſarum vncia. tuſa papaueris capitula, duobus diebus in paſſo macerantur: poſtea diſcoquũtur, dum reſoluantur in tabem, & humoris ius ad tertias redigatur: expreſſiſque capitibus, & abiectis, tortiuũ decocti ius excolatur, additis galbani, myrrhæ, thuris, lachrymę papaueris, ſingulis ſeſquidrachmis, & caſię trib⁹ drachmis: iis cõtritis, tantum decocti indidiſſe ſatis eſt, quanto poſſint in coalitum melle craſſiorem concreſcere: mox liquefacta adiiciuntur, œſypi, medullæ cerui, pinguis anſerini ſingulorum ſemiuncia, & exacte ſubiguntur, dum in vnitatem coeant. cùm paſſus ad vſum expetitur, roſaceo dilui debet, & maceratus ſubdi. omni dolori præſenti eſt remedio: inflammationibus etiam incandeſcentibus liberat: vteri ſtrangulatus emendat: duritias emollit: & ilico ſomnum conciliat.

Alius peſſus Aureus dictus, contra inflammationes, quæ muliebres locos obſident, & conuerſiones vuluæ inclinatúſue: Habet toſtorum ouorum lutea: medullæ cerui ſemiunciã, croci ſiciliquum, œſipi ſiciliq. ceræ candidæ, terebinthinæ, pinguis anſerini, ſingulas drachmas.

Peſſus Enneapharmacos, quod nouem conſtet medicinis, appellatus: prodeſt & infuſione & impoſitu. Ceræ terebinthinæ, pinguetudinis

anſeri-

anſerinæ, adipis bubuli, butyri, medullæ cerui, roſacei, mellis, cumini, pares ſingulorum portiones: recentia omnia, in duplici vaſe colliquantur.

Peſſi quibus vtendum, dum excandeſcens vrget inflammatio. Emplaſtrum è ſuccis herbarum, diachylon nominant, vaſe duplici cum roſaceo miſcetur, & plantaginis ſuccus, vel intubi, vel ſenecionis additur. Si verò calor ingens vterum ſic infeſtet, vt inflammatio igne ſacro deflagret (eryſipelatõden Greci nominant phlegmonem) recentia ſolani folia cum humano lacte trita imponito. Si † in genitalibus locis duricia protuberet, miſturis eſt pugnandum, ex fœnigræci, & ſeminis lini, pulegii, arthemiſiæ, ſylueſtris cucumis radicis, & ſabini foliorum decocto. cæterùm ſubter in vterum dare ſuſinum, vel irinum, aut gleucinum, aut anſerinum adipem, aut gallinaceum, aut ſuillum recentem & inſulſum, cum aliquo vnguento, vel lacte bubulo, vel caprillo, cum anſeris adipe. illinere imum ventrẽ pubemque conuenit his laxantibus, nitro, abſinthioque. poſtremò polyarchio vtẽdum eſt, & emplaſtro è ſeminibus aut è baccis lauri. Peſſis quoque pugnandum eſt, qui mulceant, & venarum vteri ſpiracula laxent: quem effectum optime præſtat tetrapharmacum, aut azanitæ emplaſtrum, vel è ſuccis quod diachylôn nominant, ſuſino vel cyprino reſolutum.

† τῶν τῆ ὑϛέρα.

Peſſus

Pessus ad vteri duritias, imbecillitatē, & atrophiam, id est, cùm vterus alimēti vim non percipit: est & acopos, hoc est, lassitudines discutit: Habet irini olei, cyprini, susini, ceræ, singulorum librā: mellis libras quinq; : malabathrini, nardini, singulorū trietem: adipis anserini quadrantē, medullæ cerui, œsypi, terebinthinæ, singulorum sescunciam.

Alius, ad diuturnos vteri affectus: Myrrhæ, bdellii, casiæ, ladani, singulorum siciliquus: spicæ nardi, croci, singulorum sesquidrachma: sertulæ campanicæ vel palmularū carnis, vini dulcis, hemina: susini, rosacei, cyprini, singulorum triens: prius sicca cum passo teruntur, dein vnguentis inseruntur, & leni igniculo coquuntur: & ad vsum medicamen reconditur.

Ad vteri abscessus, qui discuti non possunt, vtendum cataplasmatis è semine lini, fœnigræci, & hordeaceo: inserere autem oportet caricas decoctas, & althææ radicem, & terebinthinam: interdum quoq; columbinum fimum, oleum & mel. Loci iugiter fouendi, sinusque perluendi, spongia decocto horū imbuta: & fictili ollę (quæ perforatam harundinem habeat, spiraculo vasis accommodatam, qua vaporem expiret) insidendum. ac quibus insidebūt aquæ incoctis, ea vim extrahendi possideant: qualia sunt pulegium, marrubium, laurus, saluia, arthemisia, dictamū, centaurium. Si autem validior dolor existat, capi-

capita papaueris adiicienda: imo ventri caricæ pingues, ex terebinthina, resina & nitro, imponendæ. Pessis quoque pugnandum, qui constent, caricarum, anserini pinguis, irini, singulis sicili-quis: terebinthinæ, ceræ, singulis drachmis: ruthę sesquiscrupulo: iridis obulo: nitri, myrrhæ, singulorũ binis obolis. vtendũ autem caricarum vice, passis vuis, auxiliatur quoque antidotum cyphoides, & enneapharmacum, polyarchiumque malagma, dilutum susino vel telino, vel aliquo consimili. Quando autem rupto vomice emissario purum emanat pus, rosaceum erit infundẽdum, vel tetrapharmacum, ex butyro, & rosaceo: vel rosaceum cum sanguinariæ herbæ, vel plantaginis succo. Si vero sanies effluat, graue olens, tanquam ab vlceratione fluxioni obnoxia, vel nomis profecta, adstringentius esse debet, quod subter in vuluam inditur: quale decoctum habetur rosarum, vel palmularũ, vel lenticulæ cum malicorio. At si inæquabilis proluuies exeat, locos oportet fouere, & insessib. vti ex hydromelite, in quo absinthium, aut marrubiũ, aut eruum, aut lenticula decocta sit, clystere oriculario, ptisanæ cremorem cum melle exiguo & rosaceo suffundere. Si quæ profluit illuuies, plane grauiter olet, ex mulso vino vuluæ clyster indendus: & hoc tantisper faciendum, dum iis vitiis perfectè liberentur. Si efferatur vlcus, ita vt pascat & exedat, cõtinenter equinum lac clysteri suffun-

ſuffundēdum eſt, aut aſininum, vel quodcunque quod præſto adfuerit: modò recens ſit & coctū: ſed duabus lactis heminis, mellis acetabulū immiſcuiſſe ſatis eſt. dein iris ſemiuncia reſpergenda: ſic & excalfacere, & frequenter die conuenit infundere† vel lentis lomentum ex melle, vel oleæ folia cum melle & vino trita, ſupponere: aut amaros lupinos ex melle ſubdere, vel medicamē ex hordeo: cuius admotu, vlcera vuluæ cicatricem ducunt.

ἄλευρον. farina.

Ex hordeo medicamen, cicatricem obducēs hordei cremati & in farinam detriti, ſpumæ argenti, ceruſſæ elotæ, ſingulorum pondo: pinguedinis anſerinæ, pōdo quatuor: caprini adipis tre pondo, myrrhini dupondium, mellis deſpumati ſemiſſem, terebinthinæ trientem. efficaciter ambuſtis illinitur, atque genitalium vlceribus.

Si venarum ora ſanguinem fundunt (hęmorrhoida Græci nominant) mandragoræ ſuccus, alumen rotundum, acatia, ſingula inſtar drachmarum duarum, vino trita excipiuntur, & in paſtillos colliguntur. vtitor, perfuſis vino locis.

Alias cicutæ ſuccus, apollinaris, alumē ſciſſile, ſingulatim binis drach. ſinapis drach. ſandicis drach. ex vino formantur in paſtillos.

Alias ceruſſæ, ſpumæ argenti, plumbi cremati & eloti, ſucci hypocyſtidis, portiones æquæ excipiūtur ſucco cicutę, & ex vino in vſum promuntur. itidem iis vtere, quæ contra ſanguinis è

ſede

ſede profuſionem perſcripta ſunt.

Lucii medicamẽtum pollet aduerſus ſedis inflammationes, condylomata, & genitalium rimas, inflammatione conflictatas: ad glandis coronam, & præputium efficax habetur. Recipit ceruſſæ quincuncem, ſpumæ argenti lotæ ſextantem ſemiunciam, recrementi plumbi (quod vocant ſcoriam) eloti, aluminis ſciſſi, thuris, ſingulorum ſextantem: vino albo intrita miſces myrtino vel roſaceo cerato, & vteris. efficacem exhibet effectum ad vlcera ſedis ſordida, quæ linimentis inditis non poſſunt purgari: & ad ea quę in nomas exaſperantur.

Aliud contra ſedis rimas (quas appellant rhagadas) & condylomata. Cadmiæ crematæ & elotæ, ceruſſæ elotæ, ſpumæ argenti elotæ, ſingulorum ſextans: ceræ quadrans: ouorum toſtorũ duo lutea, ſapæ hemina, roſacei tantundem: vtendum cùm res poſtulat. Heximium medicamentum ad vetuſta vitia. conſimiliter & collyria ex aſtere attico, aut thure, aut conſimilium aliquo, ſi ſucco apollinaris herbæ & ſapa prius diluta, ſub hæc roſacei quantum erit ſatis accipiant, donec ſtrigmenti craſſitudinem colligãt: ſed anum continuò detinendam admoneo.

Ad vetuſtas verrucas, quas myrmecias adpellant. Sulphuris ignem non experti, ſandarachæ, ſutorii atramenti, pares ſingulorum portiones, ex aceto oblitæ. addidimus quoque elaterium,

& tum mirum in modum emendauit & sessiles & pensiles verrucas: turgentes prægnantesque sanguine venas sedis, quas appellant hęmorrhoidas, obliterat. Mororũ sescuncia, chalcitidis tantundem, lapides mediaci sexaginta vnus, pennarum corui scrupuli viginti. summa pennarum torrefacta, & in farinam trita, vino cum reliquis omnibus excipiuntur, vt crassamẽto strigmentum æquent. prçsenti quoque auxilio est rimis in præputio, & incipiẽtibus, & inueteratis: propter lotium, quod in stillicidio inter glãdem & præputium detinetur.

De compositorum oleorum uiribus & ratione.

SErmonem de oleorum compositione, reliquis non minus vtilem, iis qui viam ac rationem medendi sequũtur, iam vt nihil in hac parte per omnia ratio medica proficiscens desiderare possit, exponemus. Quemadmodum autem à iam dictis, occasiones colligens, potes alia quoque consimilia condere, & in alia incidens medicamenta, scire vales, qua vi polleant, & quibus adfectibus magis congruant: ad hunc sanè modum ratione, & præceptis, quibus oleorum compositiones continentur, expositis, & in opportunissima verba collectis, dicã te ex iis quę statim memorię prodẽtur adiutum, & alia componere.

Proinde ab nardino preciosiore aliis, vt videtur, oleis mentionem auspicabimur: deinceps & reliqua

reliqua memoriæ trademus, quæcunque nobis magis explorata erunt.

Nardinum igitur oleum excalfacit, & adstringit. ideo iis auxiliatur, quæ adstrictionem & calorem desiderant, id est, stomachicis, cœliacis, destillationi & thoracis vitio obnoxiis, & suspiriosis. miscetur quoque in emplastrorum compositionibus. Ratio ita se habet: Olei trepõdo, inulæ, xylaloæ, iridis, foliorũ myricæ, aristolochiæ, arboris thuriferæ, frondium lauri, casiæ, xylocasię, junci odorati, costi, amomi, styracis, myrrhę, cardamomi, garyophyllorum, bali, ladani, asari, zarnabi, myrobalani, fructus balsami, terebinthinæ, singulorũ sextula: aspalathi, piperis, cinamomi, singulorum duella: cyperi, xylobalsami, folii, spicæ nardi celticæ, & ligni cinamomi, bochi, singulorũ sesquisextula: balsami scrupuli duo: myrti siccorum foliorum, casiæ, singulorum vncia: frondium lauri sextans: vini odorati modus, qui sufficere videbitur.

Gleucinum oleum, valet contra horrores febrium, & neruorum adfectus: Olei porrorum libræ tres, vini veteris cadi quatuor, musti dupondius, arthemisiæ, cyperi, piperis, sphagani, bdellii, iridis, fructus balsami, aristolochiæ longę, singulorum semiuncia: styracis, ladani, croci, opopanacis, cardamomi, amomi, sertulæ campanæ, rosarum aridarum, sampsuchi, malabathri, singulorum sescuncia: aspalathi, rorismarini,

thuris,

thuris, calami odorati, casiæ nigræ, costi, nardi celticæ, spathæ palmularum (quæ est, inuolucrũ fructus palmæ adhuc florentis, spathophœnicõ græci nominant) singulorum selibra: camborũ, qui baccæ sunt myrti, sescũcia: helenii libra. Ratio concinnandi hæc est. virentibus in mortario confractis, oleum & mustum cum vetere vino coniiciũtur: complerur oleo dimidium vasis, aut vino vetere, reliquũque musto, quod mediam olei mensuram pendat. ea diebus quinque macerantur: posteà tantisper coquuntur, dum mustũ & vinum vetus ignis feruore absumantur, & colato liquore abiiciantur herbæ: resarciundæque iniectorum iacturæ, quod remanserat olei, mustumque cum radicibus, pręcocto oleo cęterisq; tusis cretisque cibro densiore, & subactis, atque ad vnitatem redactis diebus quinque madere sinuntur: rursusque coquuntur, dum mustum totum absumatur: colataque, senis diebus ita sinuntur: deinde colo transfusum oleum, vase vitreo reconditur.

Cyprinum oleum facultatem obtinet calfaciendi: vuluę & neruorum adfectus corrigit: laterum doloribus illitum auxiliatur: itẽ lienosis, cum exiguo aceto illinitur: miscetur ceratis & malagmatis: opisthotonicis, angina laborantibus succurrit: inguinũ inflammationibus illitũ remedio est: iis qui ab lassitudine febrim conceperunt, prę sentissimo remedio illinitur: foliorũ citri,

citri, cyperi, iridis, saluiæ, sampsuchi, cumini æthiopici, myrrhæ, styracis, mastiches, singulorũ quadrans: dendrolibani, aristolochiæ, seminis amæi, ligni balsami, xylocasiæ, singulorum triẽs: inulæ, aspalathi, florum ligustri (qui græcis cyperus dicitur) singulorum selibra: violarum vncia, cupressi sextans, lauri foliorũ selibra, ruthæ sextans aut selibra, lachrymæ panacis sextans aut quadrans, olei metreta vna: hæc vini veteris, & adstringentis, tribus metretis præmacerata, cũ oleo tribus horis decoquuntur, folia citri, dendrolibanum, frondes lauri, cyperus, inula, aspalathus, aristolochia, iris, saluia, ammæi semen, rutha, cypressus: & detersis manuali scopula sordibus, herbæ proiiciuntur. oleo reliqua, suprà scriptis mandata coniiciuntur.

Sycionium oleum calfacit, discutit mollitq́ue; floris rorismarini, pyrethri, euphorbii, agarici, castorii, nitri, singulorum quadrans: radicis syluestris cucumeris libræ duæ: olei, viniq́ue, quantum satis esse putabitur.

Rosaceum oleum, refrigerat, & adstringit: inflammationibus & ex aceto phrenitidi præsidio est, capiti illitum. Rubrarum rosarum detractis vnguibus. & noctu diuque in omphacino oleo decoctarum, sesquilibram: operculato vase, diebus quadraginta insolato. hoc, potu ventrem resoluit, æstuantem stomachum restinguit: vlcera caua nutrit: ad inflãmationes vteri, cũ melle: &

le: & erosiones intestinorũ, ex salis momẽto, clysterib⁹ ĩditur: dolor dẽtiũ eo efficaciter colluitur

Anethinum oleum, calidum, illitu medetur horroribus certo circuitu remeantibus: lassitudines discutit: dolores articularios subleuat: vteri duritias emollit, subter inditum. Anethum viride, noctu diuque flaccescens, instar vnciæ demergitur in olei dulcis sesquilibram, & operto vase quadraginta dies insolatur.

Chamæmelinum, oleum, illitum per se vel cũ temperato calore, rarefacit, longas maximè febres discutit: quod si ex mero calido, dolores omnium corporis membrorum illitu leuat. Chamæmeli flores lutei, sine ambientib. candidis foliis, pondere sextantis, in libram olei demerguntur, & vitreo vase, linteolo cooperto, quadraginta dies sole sinuntur illustrari.

Crinelaion, id est, è lilio oleum, muliebribus vitiis congruit: vlcera capitis manãtia, furfures, varos, & feruidas eruptiones illitu emendat: & vitia à frigore contracta sanat, omnem discutit inflammationem, cum croco per vnctum: potũ, deiectionem bilis molitur: stomacho inimicum, & nauseam parit. foliorum lilii detractis vnguibus imis, sextãs: dulcis olei libræ tres: tribus insolantur diebus: deinde prioribus eiectis, noua coniiciuntur folia: mox iterũ exacto triduo, induntur alia: ter hoc opus obeundum. Hoc oleũ, tepefacientem sibi naturam vendicat.

Rutaceum

Rutaceum oleum calfacit, & resiccat: quare destillationibus auxiliatur: doloribus cùm thoracis, tum reliquarum partium, quæ vim caloris desiderent, remedio est. Comarum ruthæ & foliorum diu noctúque decoctorum, vncia: olei libra. anethini modo, soli exponitur.

Violaceum oleum, refrigerat: incandescentibus inflammationum feruoribus vtile est. violarum quadrans, olei libræ duæ.

Myrteum oleum, refrigerat, & adstringit: ideóque cœliacis adfectibus subuenit: sanat igne ambusta, pustulas erumpentes illitu emendat: attritus hyeme concitatos & intertrigines, illitum corrigit: sedis rimas, condylomata, laxatos artus persanat, & sudores coërcet. Foliorũ myrti recentium vncia, teritur, & in olei omphacini sextarium mergitur, & vt cætera factitatur.

Melinum oleum, adstringit: ideo stomachi & iocineris imbecillitatibus, ventris defluxionibus accommodatum est. Malorum cotoneorum exempta medulla, selibra: olei omphacini sextari⁹. mala particulatim tundũtur, & in oleum demersa, quadraginta dies insolantur.

Irinum oleum calfacit, emollit, roborat. Aspalathi, iridis, baccularum viticis, piperis, inulę, singulorum libram: lachrymæ panacis, iunci odorati, singulorum vnciam: anchusæ duellam, scrupulos duos: casiæ duellam, olei quantum videbitur esse satis.

Maſtichinum oleum, leuiter calfacit, ſed plus adſtringit: cœliacis, ſtomachicis, dyſentericiſq́; habetur ſalutare: vitia, quæ ſunt in facie illitum delet, & colorem cutis commendat. Maſtichæ vncia, omphacini olei ſeſquilibra, decoquuntur in vaſe duplici. Ratio compoſiti maſtichini ita habet. olei libræ ſeptuaginta, xylobalſami libræ decem, iunci odorati libræ quinque, xylomaſtichæ libræ octo, terebinthinæ trepondo, comarum abſinthii libra, vini odorati libræ quindecim. arida vino macerantur, & ante triduum oleo & vino miſcētur: mox ſex horas coquuntur: tum maſtiche & terebinthina exactè liquefacta, coniiciūtur: colataque & refrigerata, in vas trāſfunduntur.

Laurini componendi ratio. Olei è drupis expreſſi, libræ ſeptem & ſemis: baccarum lauri maturarum, ſeſquilibra: commiſtis & molitis oleū excernitur. Quidam baccas lauri ſolum citra miſtionem aliam molliunt, & ita prelo vel fiſco oleum exprimunt. hoc autem merum eſt & ſyncerum. laurinum excalfacit vehementer, & emollit: ita vt ii qui ſcabie ſcatent, & aſperis impetiginibus obſidentur, illiti in balineo, perſanentur. Sed eo conuenit abſtinere lichenibus & pſoris inflammationem minantibus: in calidis quoque temperaturis, & bilioſis: ſiquidem frigidis corporibus, humidis & pituitoſis congruit: itē iis, quorum articuli algoribus, aut perfrictione affliguntur:

guntur:ischiadicis subsidio est: vermes & pediculos enecat. furfures capitis emendat: alopecias & ophiases corrigit. vsus eius, in lauacro nitri: posteà detergere oportet vino & melle, & fœnigræci farina. sed cauēdum est, ne capiti calorem sentienti, laurinum hoc oleum admoueatur.

Omphacinum oleū, quod acerbis oleis exprimitur, quod Omotribes nominānt, stomacho amicum, propter adstrictoriam vim: prægnantes gingiuas cohibet, illitum: contra lethifera venena datur, continuè potum, & vomitu redditū. decoctum verò cū rutha, torminosis præbetur: longis febribus commodissimè delinitur.

Amygdalinum oleum prodest aduersum inflammationes vteri, conuersiones, occlusionésq; item ad strangulatus eorundem locorum infusum: doloribus capitis instillatum medetur: aurium grauitatem, sonitus, stridores & sibilos discutit: renum vitio & vrinæ difficultate laborantibus, calculosis, viscerum tormētis, iocinerosis, suspiriosis, lienosis, sorptum subuenit: neuos & maculas à facie tollit, & cutem erugat, reliquáq; eius emaculat labem, cum radice lilii, melle, rosaceóque, tanquàm cerato, permistum: oculorum abolet hebetudines: manantia capitis vlcera, furfuresque, ex vino detergit: hoc aliqui Metopiū vocant. ratio eius talis. Amygdalæ amaræ chœnices quatuor, purgatas & exiccatas, pistillo ligneo in mortariū collatas leuiter cōtūde, quoad

massa fiat: cui aquæ feruentis heminas duas affusas semihoram dimitte: posteà vehementius iterum tunde: deinde ad tabellã premẽs, tortiuum cremorem excipe: & quod pingue digitis adhæsit, in cornicula diffunde: rursusque in id, quod quod expresseris, heminam aquæ vnam infunde: & spacio, vt combibat, interposito, iterũ exprime, forma qua prius. quatuor chœnices, heminam conficiunt.

Chœnices quatuor.

Balaninum simili ratione cõficitur: repurgat maculas, varos, lentigines, fucos, cicatricum nigricias: aluum resoluit, sed stomacho aduersatur: dolores aurium emendat: item si sonant aures, vel strepitum aut sibilum elidunt, cum adipe infusum anserino auxiliatur.

Lentiscinum, ex maturis lẽtisci fructibus, eodem more construitur: quod scabiem iumentorũ canúmq; sanat: pesso acopo lepricis additur: eo vtuntur ad sudores cohibendos.

Sesaminum, è sesamo simili ratione cum superioribus conditur.

Caryinum, è iuglande nuce simili ratione cõficitur: pollet ad eadem, atq; balaninum.

Hyoscyaminum, ita fit è semine apollinaris herbæ, quam vocauimus hyoscyamum: aurium dolores sanat: pessis adiicitur emollientibus.

Gnidiinum, similiter è grano fit nominis sui: vis eius, aluum resoluere.

Cnicinum fingitur ad eundem modum: pro-

ficeret

ficeret ad eadem ad quæ cnidiinum, nisi paulo esset infirmius.

Raphaninum, simili modo componitur, è semine radicis. phtiriases valetudine cõtractas, finit: scabritias cutis in facie discuit.

Melantiinum, eandem vim & cõcinnandi rationem obtinet.

Sinapinum paratur, sinapi fracto, aqua feruenti perfuso: dein additur oleum, & simul exprimitur. facit ad inueteratos dolores, ex alto id quod infestat euocans.

Cicinum oleum facito ad hũc modũ. ricinos eius maturos refrigeratos, quod putabis huic rei satis esse in solẽ conferto: expassosque vuarũ more in tabulatis explicitarum, sternito vt perarescant, & tantisper cõtineto, dum inuestiẽs cortex sponte decidat: tum carnes eorũ collectas, & in pilam iniectas, diligẽter tundito, & in lebetẽ plũbatum, aquã continentẽ cum vino, subiecto igni feruefacito: vbi succũ omnẽ reddiderint, ignem subtrahito: atq; oleũ omne, quod innatat, in par ua colligẽs cornua, tollito, & ita recõdito. Aliqui, vbi abundat vsus eius, aliter temperant: repurgatos ricinos ad trusatiles molas conferunt, vt probè ac diligẽter molẽtur, molitósq; in sportulam cõiiciunt. deinde machinamẽtis, cremorẽ omnem exprimunt. ricini autẽ maturi sunt, cùm inuolucris ipsos cingentibus destituuntur. Prodest autem cicinũ oleum, psoris, vlcerib⁹ capitis

erumpentibus, ſedis inflammationibus, vuluis, quæ occluſæ conuerſæque obſtrangulant, cicatricibus fœdis, aurium dolorib⁹: additum in emplaſtra, affectus eorum accendit: potu aluũ ciet, quæ aquis grauatur: lumbricos inteſtina occupantes depellit.

Telini olei conficiendi ratio. Fœnigræci pondo quinque, olei libræ octo, calami libra, iunci trianguli dupondius: diebus ſeptem in oleo macerãtur: quotidie ter agitantur, deinde premuntur, oleumq́ue reponitur. Quidam vice calami, cardamomum addere malunt: & xylobalſamũ, loco iunci trianguli. ſunt qui oleum iis anteà caſtigent: poſteà fœnũgręcum in eo madefaciant, exprimantq́ue. vis ei mollire abſceſſus, & concoquere. ad omnes vuluæ duritias maximè conuenit: fœminis quæ difficile pariant, cum loci profluuio vehementi obaruerint, infuſu ſuccurrit: collectionibus ſedis medetur: in teneſmo, ex inferiori parte ſubditur vtiliter: furfures & vlcera in capite manentia emendat: ambuſta, & perniones, cum cera diſcutit: aſpredines in facie decolores abolet: pigmentis additur, quibus fœminæ faciei vitium occulunt, & pallorem nitore mentiuntur. probatur quod filiculã non magnopere redoleat.

Sampſuchinum ita conficitur: ſerpilli, caſiæ, abrotani, ſiſymbrii floris, myrti foliorum, ſampſuchi, ſingulorũ modus pro viribus eorum capitur.

pitur. omnia hæc pariter tunduntur: omphacini olei tãtum adiicitur, vt adfusum vim & efficaciã eorum quæ macerantur, non obliteret. quatriduum macerentur opus est: dein exprimuntur: iterumque pari eorundem recentium mensura, & eodem temporis spacio, in eodem oleo macerantur: & vbi fuerint expressa adimuntur. Hac ratione cõficiundi euadit validius: vis ei excalfactoria, acris, extenuatoria, fœminarum noxis, siue contractio, siue conuersio vuluę fuerit, auxilio est: menses secũdásque pellit: exanimatas vteri strangulatu, recreat: lumborum inguinumque dolores mulcet, vsus eius ex melle commendatior, quoniam vehementi adstrictione locos indurat: lassitudines illitum discutit: cataplasmatis, ad opisthotonum vtiliter adiicitur: item ad alios quoscunque conuulsos.

Metopinum nominatur, ob magnam galbani commistionem. lignum enim ex quo galbanũ nascitur, Metopon solet vocari. Constat amygdalis amaris, oleo omphacino, cardamomo, lentisco, melle, vino, myrrha, semine balsami, galbano & resina: vehementer excalfacit, comburit: venarum spiracula laxat: extrahit, & purgat vlcera: neruis præcisis & musculis prodest: iis quorum in scroto iners humor concreuit, auxilio est: simulque exedentibus medicamentis imponitur: malagmatis & ceratis, neruorum rigoribus, opisthotonicis & conuulsis medetur: sudo

res

res ciet, vuluas aperit, & duritias earum placat: omnino vsus eius emoliendo est.

Mendesiũ, ex oleo balanino, myrrha, & casia, & resina conficitur. vtilitas eius, quæ metopii, tantum ignauior.

Stacte, pinguitudo est recentis myrrhæ, cum aqua modica contusæ, & per machinas expressę cõmendatissima ea quidem, quæ olei expers est.

En tibi sufficienter oleorum expositam rationem: vnde, si tibi sit in animo, rudimentis acceptis, alia componere posses.

De morsibus uenenatorum & rabidorum.

NVnc verò, quod nouissimum fuit, sed non minus vtile, de venenatis differentes, quæ decent, cœptam absoluemus pollicitationem.

De rabioso cane.

AVspicium igitur pollicitationis à cane capere voluimus, quod animal id familiare homini ac vernaculum est. Posteà de reliquis, quæ venenato morsu sæuiunt, differemus. In rabiem igitur aguntur plurimum canes, cum æstas maximis ardoribus deflagrat: nonnunquam, cum hyems gelicidiis vel algoribus riget. In rabiem efferati, cibos & potus auersantur, largam pituitam spumosamque ore & naribus profundunt, toruis intuentur oculis, strigosum corpus, & solito compressius conspicitur: adsultant sine latratu; & nullo discrimine beluas & homines,

notos

notos iuxtà ignotósque morsu adoriuntur. A morsu statim nihil molestiæ preterquam merus è vulnere dolor sentitur: sed processu vitiũ creatur, quod ab aquæ pauore hydrophobicum adpellatur. Accidit autem cum neruorum distentione, ac totius corporis rubore: præsertim faciei, maximéque cum sudoribus ac fastidio horrens aquam inter æstuat. Alii tenebras quærunt: Alii tristitia mœroréque contabescunt: Alii canum ritu delatrant, & obuium quemque dentibus appetunt, demordentésque consimilem moliuntur perniciem. Curatio quæ ad morsus canis pertinet, peculiaris, est medicamen è cancris fluuiatilibus, quod constat parte vna mistæ radicis gentianę & partibus duabus cineris crematorũ cancrorum: de quo diximus anteà, cũ de medicamẽtis dissereremus, quæ aduersus venenatos ictus probantur. Illinc de omni medicamine cõdiscas licebit, quod impresśis venenatorum ictibus dicatum sit. Nec verò timenda æquè sunt ampla rabiosorum animalium vulnera, quàm quæ pusilla videantur, & dilaniatiunculis similia: quoniam è magnis vulneribus erumpens copiosè sanguis, veneni partem aliquam eluit: in exilioribus hoc contingere non potest, quoties vulnera maiusculè hiant, abscedentes carnes secari oportet, & labiorũ margines scalpelli acie circũfodi. Quæ verò altiora sunt lacerationibus purganda, vt excitata sanguinis profusio, venenum

remo-

remoretur, & ne vitalia petere poſſit. cucurbitulæ, ſi cum multa flamma agglutinatæ figantur, id iuuamenti præſtát, vt veneficam vim eliciant. Longe efficaſſima in venenatis morſibus eſt vſtio: quippe quum ſuperueniens validior ignis natura impedimento eſt, quò minus arbitrio ſuo ſerpens venenum penitius commeet peruadátque vltrà: ſimul verò pars eius aliqua intercepta ſiſtitur, quæ non mediocre curationi futuræ iacit fundamentum: modò diu patens vlcus dehiſcat: neq; citò eius oræ coaleſcant: in quo prouidendum eſt, vt cruſtæ labantur caducæ, ne hiatus vlceri celerius quàm par ſit, occluſus coëat, præſtant hæc ſalſamẽta impoſita, & intritę aliorum ſpicæ, cepæq; :item ſuccus cyrenaicus, grana quoq; tritici vel manſa vel integra. quòd ſi, vt ſępè ſolet fieri, cicatrices anticipent, priùs obductę vulneri quàm legitimi dies accedant, cicatricoſa pars adacta manu reduleceranda, ablatis circùm carnibus, diſſectiſq; ferro: & repetito igni vulnus refricandum, cogendumq; iterum dehiſcere. poſt verò certum pręſcriptumq; dierũ numerum, trahere cicatricẽ, & conſolideſcere permittitur: ſed emplaſtro, cui nomen eſt à ſalibus, dialôn, regionem illam omnem comprehendimus: dein intra paucos dies ſinapi excitato rubore locum exulceramus. Quantum pertinet ad rationem viuendi, allium, cepas, & porros eſſe prodeſt, & vinum vetus meracius bibere: quoniam

niam hæc tardè conficiuntur, & abolentur: argu
mento, quòd qualitas eorum aliquot dies mãsi-
tat, quando † tabe illa non vincantur, neq; per- † ἀ
mutentur: sed occupẽt sua vi, & ex aduerso pu- φθορ
gnent. Vtiliter & antidota ministrantur, præser- ποιῦ
tim quæ odoribus multis componi solent. ete- νάμι
nim odoramenta omnia, suapte natura difficilè vi ill
corruptionis labem immutationemq; sentiunt: corr
proinde vis eorum in corporibus diutissime cõ- ptic
tinetur. Scitu tamen dignum est, horrorem, aut
metum aquæ, nullum pręscriptum constitutúm-
quę tempus habere, quo soleat erumpere: sed plu
rimum à quadragesimo die: sin negligentes siue
remedia differẽtes aggreditur, interdum exacto
semestri contigit aquæ metum obuiam sese ob-
tulisse: plerumq; post annum prodiisse: quæ o-
mnia vidimus. Tradiderunt aliqui, pauorẽ aquæ
septimo demum anno quosdam corripuisse. por
rò cibi acrimonia præditi & meracæ potiones,
nullo non die ad restinguendum & hebetandũ
acumen veneni sumantur. Desudatio, quæ cibũ
antecedat & sequatur, excitanda erit, picatio-
ne, (quam dropacismum nominant) & sinapis-
mo, vniuerso corpore & particulatim vtendum.
sed omnium nobilissimum est, elleborismus, &
potio hieræ, diacolocyntidos vocatæ, data: item
lac scissile: quæ tam excernendi effectu valent,
quàm remorandi, ne labes illa pestilens in cor-
pus mergi properet. Sed de iis hactenus. nũc re-
liqua

liqua subiiciemus.

Si Phalangiũ morsu nocuit, locus rubore suffunditur, & punctiunculas ostendit: sed neq; tumore succrescit, neq; calore multo cingitur: sed modicè rubet, & frigidus ex aduerso sētitur. Comitatur tremor toto corpore, & distentio poplitum & inguinum, conuulsioni nõ dissimilis: circa lumbos collectio, crebra vrinæ eiiciundę cupiditas: difficilis & tarda recrementorum ventris excretio: sudor frigidus, omnibus summæ cutis spiraculis profunditur: lachrymæ oculis exciuntur, qui offusa etiam caligine hallucinantur. Iis cinis ficulneus, adiecto sale, ex vino: aut radix punicæ syluestris, trita: aut aristolochia, cũ hordei farina aceti hymbre cõspersa, vtiliter imponitur: marina quoque vlcus fouendum, aut apiastri seu citraginis decocto: cuius folia etiam lita proderunt: tum sæpe homo demittendus est in solium, propinãdúmq; ei semen abrotani, anisum, aristolochia, cicer syluestre, cuminum æthiopicum, fructus cedri contritus, cortex platani, semẽ trifolii, singulorũ siciliquus, in vini hemina. Tradunt aliqui expressum cancris fluuiatilibus succum, lacte addito, & apii semine, illa molestia continua liberare.

Ictibus Vesparum & Apum illita malua subuenit: item hordeacea farina cum aceto: aut si ficularum lac morsibus instilletur: aut si muria, siue salsugine, vel mari foueris, occurritur.

Demorsus

Demorſus à Scolopendra locus ambitu colliueſcit, & putreſcens eroditur: interdum fęculentus apparet. rarum viſu eſt, vt rubore perfundatur. exulceratur autem ſponte ſua, ab ipſo morſu ducens initium, eáque exulceratio laborioſa, & propemodum intolerabilis efficitur, præter hæc prurigines toto corpore ſentiũtur. Super vulnus ſcolopendrę iniiciendus eſt cum aceto ſal infriatus, aut rutha ſylueſtris in farinam digeſta: locus aceto non inſulſo, & acida muria foueri debet. potio ſalutaris, ariſtolochia in vino, aut ſerpillũ, aut nepeta, aut ſylueſtris rutha.

Si Scorpius nocuit, continuò vulnus inflammatione cingitur, dureſcit, rubet, & liuore ſugillatur, atq; dolorem adfert. alternis vicibus, modò ardore deflagrat, modò frigus experitur: iam vexatio repẽtina & inſtabilis vicisſim, modò vehemens, modò languida: conſequitur ſudor, horroris ſenſus, ac tremor: extrema corporis frigent: inguina ſubriguntur: tubercula in ſede proſiliunt: inhorreſcunt pili: pallor ora decolorat: dolores cute ſumma † quaſi compunctis aculeo formicant. Iis medetur lac è ficu vulneribus inſtillatũ. Qui icit, ſcorpio tritus, & percuſſo loco adpoſitus, tanquam iniuriæ ſuæ vindex, quam intulit perniciem, ſuo corpore luit, dominante illa rerum disſidentia, quam antipathiam vocãt. Prodeſt & ſulphur viuũ, reſina terebinthina exceptum: item galbanum ſplenii

†καὶ ὡς
στιγ κα
πόδ ἐν
βολαὶ
τημάτ
ſentiu
tur v
ti ada
acule

more

more extensum, & loco inductum, leuabit. calamintha trita & illita, & farina hordeacea ex vino parata, in decocto ruthæ: semen quoq; trifolii herbæ tritum & adiectum, opē adfert. Vtendum & potionibus mali terræ cum vino, & gentiana, & pulegio, & baccis lauri, & calamintha cumposca. Cōmendatur vsus balnei frequens, cum euocatione sudoris, & potione vini diluta.

Morsum Pastinacæ marinæ comitantur confestim inextricabiles pene dolores: neruorū distentiones, assiduæ molestiæ, languores, mentis insultus: post hæc, vocis priuatio, oculorum caligo: ipse verò locus, qui plagam accepit, in circuitu cum vicinia nigricat: & ita obstupescit, vt tangentem nō sentiat: & si quis ipsum presserit, sanies ex ipsa nigra crassáque pariter, & graue olens excernetur.

Iuuabunt in hoc adfectu, & omnia quæ contra morsum viperæ monstrabimus: ad hæc in potu datur absinthium, saluia, sulphur cū aceto tritum: ipsúmq; animal, quod percussit dissectum exenteratúmque, & supra vulnus impositū, suo medetur veneficio.

Muris aranei morsum arguit, locum ambiens inflammatio: atra pustula & extuberans, aquosáque sanie prægnans: & partes omnes vicinæ liuent: verùm cum pustula dissilit, hulcus depascens succedit, nō adsimile iis, quæ serpendo corpus exedunt: cum & tormina intestinorum succedunt,

cedũt, & vrinæ difficultates, & frigidę corporis aſpergines. Iis galbanum ex aceto tritum, inſtar ſplenii, vulneri inductum cũ aceto, auxiliatur: itẽ hordeacea farina, cũ aceto mulſo illita. ipſe mus quoq;, qui morſum intulit, diuulſus & impoſit⁹, ſui morſus diluit veneficium. Vtiliter quoq; tuſum allium illinitur. Inter auxilia eſt, aqua feruẽti locum fouiſſe. Abrotanum verò decoctum, in vino potum, medetur. Laudantur ſerpillum, & galbanum, & eruca, vino diluta.

Viperarum veneno tument corpora, vehemẽtérque veluti ſtrigoſa ſiccescant, colorem trahũt ſubcandidum: ſanies è vulnere profluit, primùm oleoſa, deinde cruenta: puſtulæ ambuſtis ſimiles erumpunt: mox nome præoccupat, longe latéque depaſcens: nec ſumma quoq; cute vaga, ſed & in altum deſcendens. Contingit iis gingiuas ſanguine ſuffundi, iecur inflammari, tormina & vomitiones bilioſas moueri. accedit pręthereà tremor, ſoporifera capitis grauitas, vrinæ difficultas, & frigidi ſudoris effuſio.

Peſtilens hoc virus tollitur, caprino fimo ex vino impoſito: item lauro, abrotano, galbano, ſuperiniectis: item pullis gallinaceis diuulſis, & continuò admotis: item radicis cortice vehementer tuſo. ſcilla quoq; toſta, & chamæmelo trito, & hordeacea farina ex aceto præparata, eidem vicio ſuccuritur, calida vulneribus anteà fotis. bibitur efficaciter leporinum coagulum,

triobolari ponduſculo: & ſuccus porri, inſtar heminæ in meraco vino: & apiaſtri ſucc⁹, & rutha ſylueſtris, ex vino. ipſum quoq; vinum ſumpſiſſe prodeſt. Conducit & allium, cepas, & porros edisse: ſalſamentúmque & gallinacea cerebella cũ vino commode bibuntur: & ſemen ſatiuæ braſſicæ, acetabuli menſura tritum in vino, auxilio eſt, ſingulos digitos pice liquida intinctos colluere vino, & ita bibere. Habes quoq; theriacũ Andromachi antidotum, quod in venenis expugnandis nulli medicamento cedit. Scriptis quoque mandata ſunt alia quædam antidota, quibus vtens laboranti ſuccurres.

Similia iis eueniunt quos Amphisbena aut Scytale momorderit: quare & eadem quæruntur auxilia. ideóque hoc genus indicari propria mentione non meruit.

δρυῖνος.] Ictu, quem † Druinus intulit, vehementes cientur dolores: eo loco puſtuloſæ proſiliunt collectiones, à quibus conſequenter aquoſa ſanies effunditur: ſequuntur roſiones & tormina. His remedio eſt, ariſtolochia cum vino pota, & herba trifolium: radix haſtulæ regiæ, ſimili ſumitur auxilio: quercus cuiuſcunque glandes epotæ, & radicis ilicis tuſæ, illitu præſidium adferre conſueuerunt.

Quos Hæmorrhus momorderit, validis premuntur doloribus, qui ſine vlla cruciatus intercapedine fatigant: ob ídq; contrahunt, & in ſtrigoſam

gosam maciem corpora perducunt. è loco vulneris multus cruor excernitur: & si qua parte corporis cicatrix extet, sanguine manabit: alui quoque recrementũ cruentum exit: & qui parte illa profluit sanguis, cõcretus grumosúsq; cernitur. iidẽ de pulmonibus sanguinẽ extussiunt, & in vomitiones citra remedium effunduntur.

Dipsadis morsus hę comites notę, tumor quidem solutus, sitis pertinax, nullo potu satiabilis, & sine vlla temporis intercapedine discrucians: proinde qui ita sunt adfecti, potum hianti ore rapiunt, semper sitibundis similes. Ictus ab hæmorrhu & dipsade illati, deplorati sunt, & remedia respuunt: ergo cõmunia licebit experiri. tentanda erit cãdenti ferro perustio: & membri, si locus patitur, præcisio quærenda: mox acria cataplasmata conueniet imponere. cibos acres prodesse, neminem latet. in remedio sunt & potiones meracæ, & frequẽs balneum, & id genus reliqua obeunda.

Vlcus ab Hydro, id est, natrice illatum, ampliatur, & medium liuet: sanies ex eo redundans atra & graueolẽs, tanquam ex nome eructatur. A natrice percussis, prodest origanum tritum, maceratum: aut radix trita, & farina hordeacea cũ hydromelite potatur. propinatur verò malũ terræ binis drachmis in posca, cyathis duobus: aut succus marrubii, aut decoctum alterutrius in vino. est & sua recenti fauo gratia cum aceto.

Cenchros ictum molitur similem viperæ. sequitur proserpens erosio: intumescũt primo carnes, vt in aqua intercutem: mox in orbem defluunt, tũ quasi lethargo corripiuntur: & præcipiti somno, veternosoq; grauati corruunt: afficitur iis iecur, & vesica, & colon, vt Erasistratus putauit. Nam confectis iis, vitiatæ partes reperiuntur. Vulneribus à Cenchro factis, semen lactucæ cum lini semine illitum medetur: probatur & satureia & syluestris rutha: item serpillum, hastula regia, drachmis duabus in vini cyathis tribus: potu quoque præbenda aristolochiæ radix. similiter cardamomum, & gentiana.

Si feriat Cerastes, locus attollitur, & induratus, pustulis scatet: varia inde sanies, modò nigricans: modò lutea, fertur: sed coalitu toto pallens: subruffescit. iis genitale tẽditur: excessus mentis eos excipit: caligant oculi: tandem distentione rigoréque neruorum conuulsi, commoriuntur. Ictus Cerastæ, membri præcisio celeriter sanabit: quamobrem differenda hæc nõ sunt, sed pars demorsa tota est amputãda, aut ilico ictus locus est excarnificandus in orbem, & in proximo vicina: dein, quæ remanserint, inductis candentibꝰ ferramentis adurenda.

Vulnus Aspidis, puncto acus simile est: perexiguum prorsus apparet, ideo nihil intumescit: sanguis inde pauxillus & ater destillat: caligo præceps oculos corripit: corpus totum multifor

miter,

miter, ſed omnino leniter laborat, non ſine quodam voluptatis ſenſu, (color inelegans herbaceo virore nitet) Cor micans palpitat frons idẽtidem conuellitur: palpebræ nutantes conniuẽt, ereptis vt in ſomno ſenſibus. inter has notas, matura mors adpellit, ne diei quidem tertiam partem remorata.

Idem, quod ceraſtæ, remedium erit tentandum: præſentiſſimum hoc veneni genus, & eueſtigio pernecans: quòd arteriarum ſanguis frigore gelatus concreſcit.

Quoties Baſiliſcus quẽpiam momordit, aureo colore plaga ſuffunditur: hunc mors ilico rapit: & auxilia quæ poſſent repræſentari præoccupat. Sed tam peſtilens veneni pernicies, maximè in Lybiæ deſertis graſſatur, vbi ſanè quàm pauci verſantur homines. quam labem priuſquàm quiſpiam ſentiat, ac medicum poſſit conſulere repentina morte tollitur: tam præceps eſt veneni impetus, tamque celeriter iugulat. quare danda eſt opera, priuſquàm iis implicetur periculis, vt viuendi iam dictam ſequatur rationem: partim calidioribus veſcatur cibis, partim meracis vtatur potionibus: interim & medicamentis, quæ perniciosum ad ſe virus eliciãt, modò antidotis, quę veneficam vim expugnent, erit contendendum. quemadmodùm de iis ſuperiùs ſufficienter diſſeruimus.

Curatio communis.

AD omnes animalium, venena morſu iaculantium plagas, homo adhibendus eſt, qui vulnus ore ſugat: ſed is neque impranſus, neque ieiunus quęritur, ſed qui cibum pręſumpſerit, & os vino colluerit. mox olei pauxillum in ore contineat, oportet: poſteà ſuctionẽ proſequatur. locus ſpongia fouendus: ſcalpiſtro altiore laniatu lancinandus, quò peſtilẽs virus euocetur. circũſcriptio vulneris excarnifica, & viuo tenus exciſio proficit. Si verò locus carnis exciſionem reſpuat, admoliri cucurbitulas oportet, easq; multa flamma adigere corporibus. quòd ſi pars morſu vitiata, facilè ſectionem admittat: proculdubio ferramentis præſcindi debet, vt vnius particulæ iactura, totum ſeruetur corpus: maxime in deterrimis ferarum ictibus. Cinis ſarmentinus, aut ficulneus cum lixiuo cinere conſpergendus: item cum garo acri, ſalſamentis, porro, cepis, alliis minutatim contritis: gallinacei pulli ſpirantes adhuc & calentes, per medium diuiſi, percuſſæ parti impoſiti, magnopere auxiliantur: vtpote qui peſtilens ad ſe virus eliciant.

Habes abunde diſputationem, quam de feris, quæ venenum ictu eiaculantur, tradidimus: ne te partis huius quidpiã deficiat, quod ad medicam rationem pertineat.

Peroratio.

Peroratio.

CAEterum quia de morborũ noticia & caussis, duobus prioribus libris à nobis dictum est: in duobus aliis sequentibus, vitiorum, quæ occurrunt, medendi viam ac rationem membratim digessimus: in iis autem nouissimis duobus inseruimus, quæ internis valetudinibus opitulari medicamenta putarentur: & etiam quæ externis debeant opponi. quæ omnia tibi, qui rursum obire legationem statueris, dicamus, vt habeas affatim in omni morbo ex suprà dictis, quæ & nosse & agere possis, rudimentis inde acceptis. quòd si quidquam in opere desiderari videatur, vt vllis aliis egeas medicorum scriptis: vbi legatione perfunctus redieris, si nobis vitam agere Deus sinat, illud tibi adiiciem⁹. Sic liber ad vmbilicum extremum perductus, finẽ accipiat. itaque liceat tibi omnia hæc defunctorie percurrenti, fructu atque vtilitate, quæ in eis sunt, perfrui: vt & nos hinc gratiam aliquam reportemus, qui prorsum hoc volumẽ elaborauerimus.

ACTVARII DE MEDICAmentorum compositione finis.

